



Dissertatio theologica de oratione montana, evang. Matthaei cap. V-VII

<https://hdl.handle.net/1874/300744>

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

ORATIONE MONTANA,

EVANG. MATTHAEI CAP. V.—VII.

Ex officina Typographia GIEBEN & DUMONT.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

ORATIONE MONTANA,

EVANG. MATTHAEI CAP. V—VII,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P E T R I H A R T I N G,

MED. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

I N A C A D E M I A R H E N O - T R A J E C T I N A

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

MURCO NICOLAUS RINGNALDA,

FRISIUS EX URBE YLST.

A. D. XXVIII M. MAJI, ANNI MDCCCLVIII, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

POST UITERWEER ET SOC.

M D C C C L V I I I .

Литий алюміній
з магнітної землі

алюміній діє відповідно
до кількох законів
алюміній відноситься
до групи металів, які мають
вищу температуру плавлення
за залізою та їхні властивості
виступають у вигляді жаростійкої
матеріалів, які мають високу
плотність та високу твердість
алюміній застосовується в
автомобільної промисловості, як
матеріал для окрасного металу, як
матеріал для виготовлення
автомобільних деталей

алюміній-залізний заліз

PIIS

MATRIS. DILECTISSIMAE. MANIBUS

SACRUM.

СОЛДАТЪ ПРИЧАСТИЛЪ

СВЯТОГО ПАМЯТИ

VIRO AMANTISSIMO

RUTGERO RODENBURGH MENTZ,

ANTISTITI ULTRAJECTINO,

S. P. D.

M. N. RINGNALDA.

*Piis matris dilectissimae manibus hunc dicavi libel-
lum, hasce studiorum meorum primitias. Puero adhuc
saeva mihi mors hanc eripuit matrem, cuius memoriam
religiose servabo. Quaenam virtutis semina in puerili meo
animo sparserit, quonam veri bonique studio me imbuerit,
postea in dies magis magisque expertius sum. Patri igitur*

optimo jam dudum duplex impositum fuit munus, duplex officium: patris scilicet simul et matris vicibus erga me functus est. Sed verba mihi desunt, quibus ea, quae illi debeo, ut par est celebrem. Summa enim charitas, qua semper me persecutus est, in omni sua agendi ratione, in ejus admonitionibus ac reprehensionibus, luce clarius fuit conspicua. Omnium denique, quae veri patris sunt, nihil erga me non praestitit. Deum precor, ut illius vitam ad extremam usque producat senectutem, utque pium ac gratum filium me reddat. Nostri autem patrem mecum alteram nuper duxisse uxorem. Hac de re me ipse satis gratulari nequeo. Illa enim tanta benevolentia, tamque insigni amore me filium amplexa est, ut matris, mihi pueri creptae, vices adolescenti non tantum expleverit, sed in omnibus negotiis mihi alteram matrem se revera praestiterit.

*Vitam meam Academicam, nunc peractam, in memo-
riam revocanti, semper mihi magis fit conspicua vis salu-
tifera, quam tu, vir amantissime! in me exercuisti.
Nam inde ab initio ad finem usque vitac meae Acade-
miae paternus fere dux et monitor mihi exstitisti, nec
non integer amicus ad me audiendum et consolandum, ad
mihi succurrendum et auxiliandum semper paratus. Do-
mus tua nunquam non mihi patuit, eamque nunquam reli-
qui, nisi honestatis tuae humanitatisque sensibus imbutus,
tuisque tum dulcibus tum utilibus usus sermonibus. Quis
autem Minervae alumnus talem, qualis tu semper mihi
fuisti, amicum satis magni facere potest?*

*Quum vero tibi, vir venerande! gratias quam maximas
agam pro iis omnibus, quae liberaliter et copiose in me
contulisti, decet me alios quoque nominare viros, quo-
rum bonum erga me animum saepius expertus, quorumque*

prompto auxilio haud semel usus sum. In his est doctissimus P. J. COSTERUS, Gymnasii Snelcani rector, vir ingenii acumine insignis, qui sua ad Graecas Latinasque litteras institutione effecit, ut Academicas scholas et promptior et paratior adirem. Ne illius multorum erga me meritorum unquam obliviscar, carreat Deus! -- Nec minus grata mihi sit eorum professorum memoria, quorum lectiones litterarias et historicas, audire mihi contigit. — Praeceptores autem, viros clarissimos H. BOUMAN, H. E. VINKE et B. TER HAAR, quibus in Theologiae studiis usus sum, imprimis celebrare oportet. Benevolentia atque humanitas, quibus me persecuti sunt, beneficia, ab iis in me collata, haec tibi sunt notissima. Saepius enim de his tecum egit et imprimis clarissimi Promotoris benignitatem ac singulare his ipsis diebus praestitum auxilium haud semel tecum communicavi.

*Hac autem in Academia innotui viro plurimum
venerando M. D. DE BRUVN, cuius praeclara erga me
multosque commilitones meos merita, quamvis tibi satis
nota, hinc tamen reticere non possum. Hujus enim privata
disciplinarum theologicarum institutione usus, dubito,
utrum magis mihi profuerit familiaris ejus consuetudo,
an insignis ejus doctrina et facilis docendi ratio. Quae
omnia iterum iterumque grato recolere animo magna mihi
semper erit voluptas.*

*Multa quoque — quod tu ipse, Academicae vitae sem-
per memor, plane intelliges — multa, inquam, optimis
debeo amicis, quorum plerique jam vitam publicam in-
choarunt, alii ad hunc usque diem Almae Matris bene-
ficiis fruuntur. Experientia enim me docuit verissima
esse haec verba: Amicorum consensus virtutem alit
gaudiamque. Mox vero dura sors ab illis amicis me forsi-*

tan disjunget; sed amicitiae vinculum fore ut perpetuum sit ac aeternum spero. Jucundos vitae academicae dies ut in posterum recorder cum beato illo gaudio, quale tu, vir amantissime! de amicis tuis aut adhuc in vivis aut jam defunctis familiariter sermocinans, saepius mihi manifestasti, toto cum animo exopto.

At nunc finem huius epistolae imponam, unum tamen adhuc a te, vir venerande! petens. Vita mea in Academia peracta est; urbem hanc mox relinquam; munus, ad quod gerendum me parare studui, brevi, ut spero, adibo. Tu pergas, ut fecisti, liberali benevolentia me persequi, amore me amplecti, consilio et re me juvare. Summa vero ope nitar ego, ut illa amicitia, qua huc usque dignum me existimasti, nunquam indignum me praestem. — Vale.

Scripsi Trajecti ad Rhenum, mense Aprilis a. ccccclviii.

CONSPECTUS.

	PAG.
Introitus.....	1.
CAPUT I. Quaenam in oratione montana occurunt difficultates, in quibus dirimendis huc usque laborarunt interpretcs.....	6.
CAPUT II. De methodo, huc usque ab interpretibus in dirimendis difficultatibus illis adhibita, et de meliore in ejus locum substituenda.....	21.
CAPUT III. De ratione, qua JESUS cum multitudine hominum versans hos docere solebat.....	25.
CAPUT IV. De unico modo, quo ea, quae JESUS olim docuerat, a discipulis servari potuerunt.....	36.
CAPUT V. Difficultatum singularum solutio	46.
CAPUT VI. De argumento ac idlearum connexu in oratione montana	57.
CAPUT VII. De necessitudine orationem montanam inter atque Mosaismum.....	71.
CAPUT VIII. De necessitudine orationem montanam inter ac CHRISTI religionem.....	83.

Aut hoc non est verum Evangelium, aut nos non sumus
veri Christiani,

THOMAS LINACER.

(Vid. Wolfii Curae in Matth. V: 2.)

I N T R O I T U S.

Gravissima sane est et pulcherrima illa Novi Foe-
deris pericope, in quam diligenter inquirere hac dis-
sertatione nobis proposuimus. Ut autem lector be-
nevolus aptius adeat ac facilius sequatur ea, quae
nos chartae mandavimus, haud inutile nobis visum
est nonnulla praemonere de disquisitionis nostrae
indole, consilio ac ratione, nec non de *fontibus*,
quos consuluiimus.

Disquisitio, a nobis instituta, universe dicenda est
theologica; quodsi vero distincte et accurate ejus
indolem notare velimus, quadruplici eam attributo
ornare nos oportet. Est scilicet 1º. *historica*: nam
initio jam dedimus variarum difficultatum, quae
explicationem orationis montanae hue usque pres-
serunt, conspectum; praeterea quaccumque disputa-

vimus non nisi rebus in facto positis superstruere studuimus; 2º. *critica*: quia judicium tulimus de methodo, ad hunc usque diem in dirimendis illis difficultatibus adhibita, cui aliam substituere conati sumus; 3º. *exegetica*: etenim non nisi bene intellecta hac, de qua agimus, Sacrae Scripturae parte, ejus argumentum et dispositionem rite exponere possumus; 4º. *dogmatica*: quum inquiramus in necessitudinem, quae intercedit Mosaismum inter ac orationem montanam, in qua nimur oratione omnem invenimus CHRISTI religionem.

Consilium autem, quod hac disquisitione nobis proposuimus, triplex est: *primo* expedire difficultates, hucusque interpretibus, qui orationem montanam explicare studuerunt, obvias; *secundo* exponere verum hujus pericopæ argumentum ejusque dispositionem; *tertio* manifestare summum ejus pretium.

Quae autem ratio est, qua in componendo hocce libello progressi sumus? Quis ordo, quo singula libelli capita se invicem excipiunt? — Quum, ut jam diximus, consilium nobis fuerit dirimendi diversas easque graves difficultates, quae interpretibus in explicanda oratione montana huc usque se obtulerunt, brevem illarum difficultatum conspectum de-

dimus, iisque singulis praecipuas virorum doctorum sententias adjecimus. Sic enim lector et labores eorum, qui ante nos de hac oratione egerunt, facilius cognoscere ac consulere, et rem omnem, de qua sermo est, recte perspicere potest. Ex hocce autem conspectu patet varias singularum difficultatum solutiones magnopere inter se differre, nec earum ullam quidem omnium consensum in se contraxisse. Cujus rei causam sitam esse invenimus in eo, quod perversa methodo in expediendis illis difficultatibus usi sint interpretes, quos consuluimus; quippe qui omnes pro certis statuerint ea, quae nos, historicis argumentis ducti, falsa esse arbitramur; quibus falso positis tanquam fundamento usi sunt. — Huic igitur methodo aliam, quac nobis unice vera videbatur, *historicam* scilicet, substituere studuimus, quae non nisi res in facto positas et quaecunque ex his deduci possint ut fundamentum ponit. Quam ob causam indagavimus ea, quae ipsa historia, optima omnium dux et auspex, nos docet et de ratione, qua JESUS, cum turba hominum versans in monte, iis divinam suam sapientiam exponere soleret, et de unico modo, quo ea, quae JESUS olim sic docuerat, a discipulis servari potuerint. Hae igitur res firmissimum nobis praebuerunt fundamentum, in quo tota dis-

putatio nostra fundata est. Duabus enim his rebus cognitis, haud difficile nobis fuit eas solvere difficultates, in quibus rite tollendis hic usque minus apte laborasse videntur interpretes. Omnibus igitur impedimentis remotis, integra et intacta mansit pulchra, de qua agimus, pericope; quin et pulchrior evasit. Quapropter exposuimus hujus pericopes argumentum ac dispositionem, atque simul summum ejus pretium, quod minoris aestimarunt multi, orationem montanam dicentes alteram tantum partem Christianae religionis, aut statuentes eam non nisi transitum praebere a Lege ad Evangelium, aut in ea desiderari nonnulla religionis Christianae placita, scitu tamen necessaria. Hanc quidem ob causam de duabus rebus egimus, quibus orationis montanae pretium maxime perspicuum esse opinamur, scilicet exposuimus, orationem montanam *tum* docere CHRISTI religionem inter ac Mosaismum veram necessitudinem, *tum* continere omnem CHRISTI religionem.

Fontes, quibus hac in disquisitione elaboranda usi sumus, triplicis sunt generis. Sunt enim illi *partim* Commentarii vel in totum Novum Foedus, vel in Evangelium Matthaei, vel in hanc, de qua egimus, primi Evangelii pericopen; *partim* scriptores, qui

agunt de vita JESU; *partim* quoque alias generis libri de oratione montana scripti. Quicumque vero plures auctores, qui de oratione montana scripserunt, distincte cognoscere velit, consulat corum recensiones, quas dederunt THOLUCK 1), HASE 2), alii.

1) *Die Bergpredigt*, 1856. 2) *Das Leben Jesu*, 1840.

C A P U T I.

QUAENAM IN ORATIONE MONTANA OCCURRUNT
DIFFICULTATES, IN QUIBUS DIRIMENDIS HUC
USQUE LABORARUNT INTERPRETES

Omnibus, qui ad nostrum usque tempus in explicanda oratione q. d. montana versati sunt, multae occurrerunt difficultates, quas variis modis tollere studucrunt. Hoc Capitc brevem illarum difficultatum conspectum dare, et singulis praecepuis virorum doctorum sententias adjungere studuimus. Quod autem ut aptius fieret, omnes illas difficultates in duas dividimus classes, quarum prior continet eas, quae oriuntur ex contemplatione orationis montanae, quae occurrit Matth. V—VII, per se spectatae; posterior autem eas, quae profluunt hac ex oratione collata cum Cap. VI Lucae, qui ibi eandem orationem retulisse putatur.

Difficultates, quae oriuntur ex contemplatione orationis montanae, Matth. V—VII, per se spectatae.

Prima difficultas, ad hanc classem referenda, est eorum qui statuunt, *orationem montanam ad verbum memoria servari non potuisse.* Quod quidem paucis additis illustremus. Haec oratio, inquit illi, quamvis partes ejus arcte cohaerent, diversis tamen de rebus agit, dum simul multa continet breviter dicta, proverbia, γνώμονες; porro satis ampla et prolixa est; deinde diu post quam JESUS eam habuit litteris demum mandata est. Quacum ita sint, negandum memoriae cam esse vim, quae totam hujusmodi orationem ad verbum servare potuisset.

Quomodo autem Exegetae hanc difficultatem dirimere conati sunt?

Ostenderunt 1) vim memoriae Orientalium, deficientibus aptis scribendi adminiculis, multo maiorem esse quam Occidentalium; eamque auctam fuisse JESU Discipulis, qui Spiritu ejus jam imbuti attentius igitur verba ejus audirent atque semel audita deinde saepius repeterent. Quibus

1) WITKOP, *Voorlezingen over het Wezen des Christendoms*, alii.

omnibus traditio oralis niteretur, aleretur et augeretur.

Quamvis facile concedimus magna carminum aliorumve scriptorum fragmenta ad verbum in mentem recipi et ab uno ad alterum ore proferri posse, vel sic tamen, rationibus psychologicis ducti, negandum putamus, magnam eamque rebus et sententiis refertam orationem, semel tantum habitam, ad verbum menti insculpi et memoria retineri posse, quamvis multis c rebus auxilium petente.

Illi autem, qui eo quo diximus modo hanc difficultatem tollere studuerunt, demonstrarunt quidem hujusmodi orationem, si quando memoriae esset mandata, potuisse servari; haud tamen ad quaestionem responderunt: quomodo talis oratio, semel tantum ex ore Magistri profecta, statim mente discipulorum ad verbum recepta sit. Ad quam quaestionem respondendum fuisset.

Secunda difficultas, de qua in hac classe nobis agendum, haec est: orationem montanam nimis artis legibus respondere. Breviter exponamus, qualis secundum nonnullos recentiores sit haec difficultas.

Orationis montanae, quam MATTHAEUS retulit,

omnes partes arctissime cohaerent et tam logice congraunt, ut orationis summa, quamvis in singulis ejus partibus iterum iterumque aliis verbis repetita, ab inquirenti tamen ingenio facile ex omnibus illis partibus dignosci possit, ita ut singulae partes luculententer pateant unum integrum efficere totum. Sunt quidem, qui dixerint, JESUM praecedente nocte se praeparasse, et non solum de ideis, quas pronuntiatur erat, meditatum esse, sed etiam verba non-nullarum idearum et formam totius orationis constituisse 1). Sed tota oratio montana, ajunt adversarii, nimis *dialectica* est et docendi rationi qua JESUS utebatur repugnat, quippe qui verbis, quae sponte sed ex imo pectore se offerunt, uti soleret 2); *artificiosior* est, quam ut ex ore Domini profecta esse possit 3). Quodsi contra ponatur, JESUM orationem illam habere potuisse, quodnam consilium, rogant sua vice, hac oratione sibi proposuisset JESUS, quam vim ei tribuisset? Alloquitur discipulos et multitudinem hominum omnis generis. Neque his oratio fuit accomodata, neque totius orationis summa, nimis abstrusa multisque sententiis nimis abscondita, simplici et inculto populo tam facilis fuit intellectu, ut JESUS

1) OOSTERZEE, MEYBOOM.

2) HASE.

3) BAUR.

sibi facere potuerit audientiam, qua auditorum iudicium provocaret.

Hanc difficultatem revera nonnulli Interpretes sustulerunt. Alii 1) enim singularum orationis partium inter se cohaerentiam et totius unitatem vel euidam γνωμῶν collectori, vel Graeco Evangelii Matthaei Interpreti, vel pluribus tribuunt auctoris, quorum labore Evangelium primum, quod nunc habemus, exstisset ajunt. Alii 2) perhibent MATTHÆUM sive auctorem primi Evangelii absolutum doctoris popularis fingere voluisse exemplar, quod optime petit ex ipsa IESU vita et aptissime annexuit gravissimo euidam ejus vitae casui, circum quem, tanquam totius orationis centrum, ceteras omnes partes ordinavit.

Ut autem exponamus, quidni his assentiamur, non hujus loci est; nam si id vellemus, totam eorum theoriam de origine Evangeliorum refutaremus necesse esset. Eorum vero sententiam silentio praetermittere non lieuit nobis. Aliam viam, quā hanc

1) FRITZSCHE, OLSHAUSEN, MEIJER, SCHNECKENBURGER, BAUR. Verba autem THOLUCII: »ob dein in diesem Fall der Jünger über seinen Meister gekommen sei?« contra hos nihil valere satis patet.

2) HASE.

difficultatem tollerent, illi inierunt interpretes, qui opinionem qua statuitur, orationem montanam esse artificiosiorem, quam ut JESUS eam habere potuerit, profligasse sibi videntur exclamando: »aci Dominus loqui non potuerit, nisi rerum dispositio[n]is et contextus ratione spreta.“

Hujusmodi autem refutationem omni probandi vi destitutam esse nemo non intelligit.

Tertia difficultas hoc reddit: *in oratione, a Mattheo commemorata, non solum nonnulla breviter dicta, verum etiam partes prolixiores inveniuntur, quae etiam in Evangeliiis Lucae [Cap.VI excepto] vel Marci occurrunt alio contextu.* Quacritur idcirco, apud quemnam Evangelistarum dicta illa et partes illae *suo loco* narrentur?

Sunt qui, inspirationis theoriae faventes, et coacti necessitate fidem cujusque auctoris sacri vindicandi, loca illa parallela saepius a JESU dicta esse diverso loco et tempore putent. His igitur difficultas non exstat. — Alii CHRISTUM brevia tantum dicta, non vero majora fragmenta, ali nonnulla tantum dicta brevia atque etiam partes majores nonnullas Dominum repetiisse accipiunt. Illi igitur pro omnibus iis partibus majoribus, hi solum pro iis, quas non

repetitas putant, certum quemdam locum, aut in oratione montana aut alibi, vindicare debent, uni Evangelistarum fidem tribuentes, quam ceteris abnegant. Sic sane debita solvunt. Instituunt enim operationem criticam, cuius ope, internis usi argumentis, judicium efferunt de loco, quem illae partes majores in Evangeliiis obtineant necesse est. Etsi autem hoc judicium plerumque feratur in gratiam MATTHAEI, de nonnullis tamen parallelis 1) judicium effata tam diversa sunt, ut ex iis optio difficillime fiat, vel ne fieri quidem possit.

*Difficultates, quae profluant ex oratione Matth. V—VII,
collata cum Cap. VI Iucae, qui ibi eandem
orationem retulisse censetur.*

Ad posteriorem hanc classem *primo* loco referenda est difficultas: *uterque Evangelista eandem refert orationem montanam, sed diverso eam tempore habitam tradit.* MATTHAEUS enim eam collocavit initio publicae JESU vitae, postquam de quatuor tan-

1) Plerique in oratione dominica recensenda fidem historiam LUCAE tribuerunt, iisdem quidem argumentis ducti, quae alios eo duxerunt, ut illam bis a JESU datam esse existimarint.

tum Apostolorum electione mentionem fecerat. **LUCAS** contra eam narravit habitam in media IESU vita publica, et statim post duodecim Apostolorum electionem. Quomodo autem haec difficultas a viris doctis sublata est?

Duas per vias eo pervenire posse crediderunt; scilicet, aut alteri, aut utriusque auctori fidem in tempore statuendo abnegant. **LUCAM** facta et verba IESU omnino ordine chronologico narrasse plerique 1) putarunt; **MATTHAEUM** contra consilio didactico Evangelium suum conseripsisse, haud vero temporis rationibus consuluisse. Alii putant utrumque auctorem hac in re errasse orationemque ocios collocasse, quam ea revera locum habuit 2).

Tertia autem sententia duabus, quas narravimus, adjungenda est. Sunt nimirum, qui putent utrumque Evangelistam, **LUCAM** et **MATTHAEUM**, verum tempus, quo oratio montana habita est, indicasse. Hi autem Evangelium primum Graccum, quo nunc gaudeamus, ortum volunt ex opere **MATTHAEI**, quod τὸ

1) THOLUCK, MEIJER, OOSTERZEE, alii.

2) DE WETTE (*Comm. in Matthaeum*) **MATTHAEUM** orationem ocios, quam locum habuit, collocasse putat, quia IESUS in ea tam aperte se Messiam vocat; **LUCAM** vero propter rationes, quas ipse ibi non exposuit, quas vero equidem ignoro.

λόγια οὐρανά contineret. Etsi autem opus hoc aut ab uno aut a pluribus mutatum et auctum esse dicunt, aut his aut illi adscribunt etiam errorem chro-nologicum, qui in primum Evangelium, Graece con-scriptum, irrepserit.

Secundo loco in sensum venit difficultas *localis*. MATTHÆUS enim *in monte*, LUCAS contra *in loco campestri* JESUM orationem suam habuisse tradit. Ad discrimen illud tollendum, interpretes relationem MATTHAEI cum LUCAE relatione in concordiam redigere studuerant. Nonnulli putant JESUM, antequam initium orationis fecerit (Luc. VI: 20), recessisse in montem¹⁾; alii verba LUCAE: »ἐπὶ τόπον πεδινὸν» significare *e regione plani loci*. Plerique tamen perhibent τόπον πεδινὸν esse clivum aut locum planum in summo monte, atque igitur nullum inter utramque recensionem adesse discrimen.

Tertiam difficultatem praebet *habitus* JESU lo-quentis. LUCAS enim JESUM, dum orationem habuit, *stantem*, MATTHÆUS contra *sedentem* tra-dit. Interpretes statuerunt narrationes utriusque

1) CHEMNITZ.

Evangelistae hac quoque in re optime secum invicem conuenire. Referunt nimirum verbum ξέρη (Luc. VI: 17) ad sanationes, quae requirebant JESUM stantem, et arguunt ex ipsis LUCAE verbis, hunc Evangelistam non commemorasse, JESUM stantem habuisse orationem. Hisce igitur argumentis ducti, rem ita proponunt, JESUM stetisse, dum aegros sanaret, et consedisse, antequam loqui inciperet.

Quarta difficultas exprimitur quaestione: ad quosnam auditores JESUS orationem montanam habuerit. Paucis quaestionem exponamus. MATTHAEUS narrat discipulos JESU et ὄχλοντος πολλοντος adfuisse, quum JESUS orationem haberet. Ἐδίδασεν αὐτοὺς, inquit Cap. V, sect. 2; ad quam vocem αὐτοὺς grammatice bene referri possunt aut discipuli tantum aut discipuli cum turba conjuncti. E verbis autem »ξέπλησσοντο οἱ ὄχλοι,» quibus Evangelista vim et efficacitatem orationis JESU in auditores describere voluit, effici potest, JESUM multitudinem etiam allocutum fuisse; quum contra orationi, a MATTHAEO litteris mandatae, nonnullae insint partes, quae speciatim pertinent ad discipulos.

Quid autem tradit LUCAS? Hic etiam enarrat adfuisse ὄχλον μαθητῶν et πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ.

Sed ex exordio orationis patet hanc discipulos tantum spectare; quod etiam probatur electione duodecim Apostolorum a scriptore in contextu praemissa, aesi haec orationi habendae ansam dedisset.

Quid autem viri docti ad propositam quaestionem responderunt?

Quum inter omnes constet utrumque Evangelistam candem referre voluisse orationem, non opus est, ut mentionem faciamus de iis, qui putant JESUM bis, primum coram discipulis, dein coram turba hominum suam habuisse orationem. Imprimis vero duae sententiae animadvertendae sunt: altera eorum 1), qui orationem quam LUCAS refert nexu causali conjungunt cum electione Apostolorum, et *inauguralem* eam dicunt. Altera, quam plerique amplexi sunt 2), ponitur Christum, superato montis fastigio, condisse, discipulos propius illum cinxisse, et turbam e longinquo stetisse; cunctos igitur illum docentem audiisse. Itaque orationis montanae consilium est duplex: speciale quoad discipulos, universale quoad turbam hominum.

Pervenimus ad *ultimam*, qua explicatio orationis

1) CHEMNITZ alii.

2) BASE, THOLUCK.

montanae ad hoc usque tempus premitur, difficultatem, quae circumseribi potest hocce modo: *in relatione Lucae, per se spectata, dispositio perspicua desideratur; relatio Matthaei longe praecepsit magnitudine relationi Lucae, quamvis nonnulla narrantis, quae apud Matthaeum non inveniuntur.* Pauca addamus. Nemini facile contingit dispositionem et nexus inter varias orationis partes invenire in recensione LUCAE, quin cognitam habeat orationem a MATTHAEO relatam, cuius dispositio perspicua est. Multae tamen et eadem res in utraque relatione iisdem fere verbis redundunt et eodem fere ordine se invicem excipiunt. Verum inter orationis particulas, quibus eadem res exponuntur, non idem est nexus; atque id hinc imprimis ortum est, quod MATTHAEUS longe plura narret quam LUCAS; hic contra sua quoque vice nonnulla affert, quae apud illum desiderantur. Accedit, quod apud utrumque Evangelistam nonnulla enuntiata occurrunt, quae nec inter se neque cum locis, quae proxime in vicinia sunt, cohaerere videntur; tum alia, quae, quamvis in utraque relatione commemorata, diverso tamen contextu collata sunt. Difficultas igitur duplex est atque continetur duabus quaestionibus, nunc exponendis.

Quomodo factum est, ut in Lucae relatione perspicua dispositio desideretur? Ad hanc quaestionem responderunt interpres. Ut eos, qui LUGAM MATTHAEI relationem supplevisse statuunt, missos faciamus, — nonnulli dispositionem in relatione MATTHAEI huic ipsi tribuunt, quam ob causam apud LUCAM ut quaeratur non opus est 1). Alii, authenticam orationem apud MATTHAEUM ponentes, existimant LUCAM hanc excerptisse, nec vero ubique contextum consuluisse. Sunt etiam, qui putent vel MATTHAEUM clarius quam LUCAM ea enuntiasse, quae uterque sibi proposuerat, scilicet, ut expressam doctoris popularis effigiem scriptis mandaret; vel MATTHAEUM majorem traditionum cyclum sibi paratum invenisse 2).

Undenam factum est, Matthaeum tanto ampliorem retulisse orationem montanam, et Lucam contra nonnulla tradidisse, quae apud Matthaeum non inveniuntur? Ista autem pauca, quae non in MATTHAEI sed in LUCAE tantum relatione occurrunt, LUCAS aut ipse ex sua mente

1) FRITZSCHE.

2) HASE, *das Leben Jesu*: Aber MATTHAUS hat diesen Zweck weit grossartiger aufgefasst, oder eine reichere Krystallisation der Ueberlieferung vorgefunden.

adjecisse perhibetur, aut ex traditione. Sed de iis, quae solus MATTHAEUS memoravit, sententiae interpretum in varias partes abeunt. Nonnulli enim putant virum, a quo LUCAS orationem acceperit, ipsum orationi interfuisse, sed aut locum in monte tenuisse, ubi omnia accurate audire nequiverit, aut aliquot orationis partes oblitum fuisse. Alii porro statuunt MATTHEUM varias orationes IESU diverso tempore et loco habitas in unam conjunxisse, ita ut ea, quae MATTHAEUS plura habet, ad ipsam orationem montanam non pertineant. Sunt dein etiam, qui velint LUCAM multa (e. c. effata polemica contra pharisacos), dogmaticis rationibus ductum, silentio praetermisssisse.

Ea denique, quae interpres ad priorem quaestionem responderunt, pertinent quoque ad quaestionem, de qua nunc agimus, quam ob causam hic repetenda sunt.

Et haec quidem sufficiente de variis difficultatibus, in oratione montana obviis, earumque huc usque cognitis solutionibus. Quodsi nunc quaerimus, quanam ratione responderunt interpres ad quaestionem, uter Evangelistarum talem orationem, qualis a IESU habita est, ad verbum retulerit, luce clarius patet alios difficillime, alios vero nequa-

quam ad hanc quaestionem respondisse. Quin illi,
qui arguunt MATTHAEUM originalem orationem re-
tulisse, vel sic tamen ejus relationem cuidam sub-
jiciunt dijudicationi, qua et ipsi nonnullas partes
MATTHAEO abjudicant.

C A P U T II.

DE METHODO, HUC USQUE AB INTERPRETIBUS
IN DIRIMENDIS DIFFICULTATIBUS ILLIS ADHIBITA,
ET DE MELIORE IN EJUS LOCUM SUBSTITUENDA.

Vidimus capite antecedente, conatus, quos inter-
pretes ad dirimendas difficultates adhibuerunt, ad
diversas duxisse sententias, quas singulas recensere
non hujus loci putamus; at, iis omissis, viam, qua
interpretes ad illas pervenerint opiniones, indicare
sufficiet. In antcessu vero duo quaerenda sunt.
Primum quidem, quae sit causa, cur inveniatur
tantum solutionum discrimen apud eos, qui versati
sunt in illis difficultatibus dirimendis; dein, qui
factum sit, ut ne ulla quidem solutio aequa omnibus
placeat. De singulis videamus. Causa illius
discriminis non longe remota sed in promptu est,
quippe quaerenda in diversis de origine Evan-
geliorum Synopticorum conjecturis, quae a variis

interpretibus excogitatae ac vario modo exornatae sunt. Ad posteriorem quaestionem: qui factum sit, ut ne ulla quidem solutio omne ferat punctum, paucis etiam respondere possumus. Scilicet, omnium solutiones, me quidem judice, fructus fuerunt methodi nequaquam probandae. Sic autem judicantes, explicemus necesse est, quam methodum in dirimendis difficultatibus huc usque secuti sint interpretes. Omnes quos quidem consuluimus interpretes in eo convenient, ut pro certo ponant: *orationem q. d. montanam esse orationem continue et semel tantum a Jesu pronuntiatam*; quod ipsum vero demonstrandum nobis videtur. Nihilominus tamen huic suppositioni tanquam fundamento superstruunt ea, quibus putant nodos difficiles solvi posse. Hunc autem communem esse omnium errorem luculenter patet ex eo, quod non solum in illum inciderint ii, qui hominum memoriam accipiunt ut fontem, ex quo Evangelistae hauserunt; quam memoriam simul putant tantum valere, ut orationem continuam et prolixam, qualis oratio montana est, servare potuerit; verum etiam ii, qui, eundem Evangeliorum fontem agnoscentes, tantam memoriae vim abnegant hominibus. Etenim, non nisi pro veris acceptis iis, quae nos supra diximus omni probatione

adhuc egere, quaestio demum oriri potest, utrum MATTHAEUS an LUCAS genuinam orationem retulerit; quam genuitatem et hi et illi vel MATTHAEO vel LUCAE tribunt, postquam scilicet in ipsa oratione, exacta ventilatione, frumentum a gluma supervacanca purgaverint. Si quis autem hac de re dubitet, ea imprimis legat, quae Capite V scripsimus. Methodus vero, quae *a priori* pro certo ponit id, quod demonstrandum est, ut verac methodo contraria rejicienda nobis videtur.

Quum igitur interpretes ea usi sint methodo, qua uti non licet, nos, si rem felicius ad finem perducere velimus, aliam methodum sequi oportet. Qualis autem haec est? Nobis quidem verissima methodus omnino dicenda videtur *historica*: ea quae non nisi *historica via progrediatur, in-dagando res tantum in facto positas et quae ex his deduci possint.*

Quodsi igitur id assequi velimus, ut argumento nostro majorem affundamus lucem, haud aliam nobis viam ingrediendam esse, nisi historicam, certo affirmamus. Quidni? Nonne ex historia, verissimo illo augustoque fonte, nostra omnis manare possit disquisitio? Itaque haud aliis argumentis nobis uti licebit, nisi historicis. Duo igitur nobis inquirenda

videntur: *primum*, qua ratione IESUS, cum turba hominum in monte versans, hos rebus coelestibus instituere soleret; *secundo*, quo unice modo ea, quae IESUS populum olim docuerat, a discipulis servari potuerint. — Quae efficere si nobis detur, fundamento satis firmo superstruere nobis licebit quaecunque et de difficultatibus tollendis et de toto orationis argumento ejusque dispositione, atque insuper de summo hujus pericopes pretio, disputaturi sumus,

C A P U T III.

DE RATIONE QUA JESUS CUM MULTITUDINE HOMINUM
VERSANS HOS DOCERE SOLEBAT.

JESUS brevi publicae suae vitae tempore versabatur fere in docendo, ut verbis et exemplo spiritum suum impertiretur hominibus, atque ita gravissimum sibi impositum munus perficeret. Quale autem hoc munus fuit? Ut novam scilicet in hominibus excitaret vitam, peccati dominium expelleret, atque ita regnum coeleste conderet. Quod regnum cum destinatum esset ut totum aliquando genus humanum amplecteretur, JESUS, quocunque loco moraretur, omnibus sine discriminē hominibus coelestem suam doctrinam communicabat. Prouti vero doctor popularis in oriente solet, JESUS semper ansam docendi cepit ex omnibus iis rebus, quac et in vicinia erant ac sponte se offerebant, doctrinam

excelsam simplicissimis proverbiis, colloquiis et parabolis exponens. Ut autem rite intelligamus, qua ratione JESUS, multitudine cinctus, certo quodam monte docuerit, in antecessu monebimus, quac historia nos tradat de docendi ratione, quam aliis locis, praesente quoque hominum turba, secutus sit JESUS, ne omittamus ea, quae magnam huic capiti lucem afferre possint. Brevi igitur moremur *ad ripam lacus Galilaeae, in synagogis et in templo.* *Ad ripam lacus Gennezareth,* ubi natura divitias suas largitur, JESUS primos discipulos sibi vocaverat, ut eos redderet hominum piscatores. Locis autem amoenis, quae lacum eingebant, valde delectabatur. Certo quodam tempore ibi aderat et variis ex regionibus ad illum affluxerant magnae hominum catervae, quibuscum piscatores, relictis retibus naviculisque, se permiscuerant. JESUS autem homines, qui proximi eum adeunt, instituere incipit, sed turba, audiendi cupidine correpta, ita in eum urget, ut sic pergere loquendo hanc amplius possit. Quid vero? JESUS condescendit navem, quae brevi spatio a ripa remota tenetur anchoris. Et sic e nave alloquitur et docet homines, juxta ripam prope ipsum affluentibus. — Quid autem ex his efficiendum videtur? JESUM hujusmodi opportunitate *orationem*

continuam habere non potuisse, et popularem do-
cendi formam, nempe breviter dicta vel parabolas,
adhibuisse hoc loco, ubi pauci tantum audire eum
poterant, quia multitudo aderat turbida, quae eum,
jam ante in littore stantem, impediverat, quominus
docendo pergeret.

In ipsis etiam urbibus fuerunt loca, quibus
turba hominum JESUM adire solebat. In his impri-
mis censendae sunt *synagogae*. In synagogis sedes
erant doctoribus destinatae. JESUS autem, qui
in scholis non institutus erat, a scribis Magister
haud agnoscebatur, sed talem populus eum habe-
bat propter auctoritatem, quam sibi vindicabat;
et in sede doctorum JESUS se collocebat. Post-
quam conserderat, auditores eum circumdabant, quo-
rum alii alios ita urgebant, ut mox tota syna-
goga infarcta fuerit. JESUS autem — ut doctores
solebant — auditoribus seruit sermones, quibus
doctrinam suam exposuit. Quidni vero orationes
continuas pronuntiavit? Hoc non tantum popularis
doctoris moribus repugnasset; sed perpetuo prin-
cipes Judaeorum et pharisaci aderant, qui time-
bant, ne illius auctoritas nimis inter Judacos
invaleret, atque ideoreo quaestionibus captiosis
illum aggrediebantur et fatigabant. Has ob cau-

sas JESUS in synagogis *prolixiores* orationes habere non potuit, nec a solita sua docendi ratione recessit.

Hierosolymis *templum* fuit, in quo ipse JESUS se quotidie docuisse dixit. Quomodo vero ibi hominum turbae coelestia explicuit? In atrio gentium, loco amplissimo, JESUM cernimus modo sedentem, modo stantem aut ambularem colloqui cum singulis hominibus, qui proximi ei adstabant. Nec minus etiam hinc inimici insidias ei parabant. Etiamsi igitur Dominus nonnunquam allocutus sit totam, quae aderat, turbam, hoc nullum aliud habuit consilium, nisi ut dolum ac malitiam inimicorum exponeret, horumque agendi rationem refutaret. Itaque nec templum opportunus fuit locus, in quo *continuas* orationes JESUS habere potuerit.

Coram magna igitur hominum multitudine his quidem in locis *continuas orationes* JESUM non habuisse, satis superque patet; si quidem eas habere non potuisset nec propter ipsam turbam, nec propter minus opportuna loca, nec propter ipsam docendi rationem.

Sed JESUS valde amabat versari *in montibus*, quo saepius multa millia hominum ad eum approxinquarent. Inquiramus igitur, *qua ratione*

*Jesus, in monte cum hominum turba versans,
hos instituerit ad res coelestes.*

Vulgo res proponitur et scriptis et picturis hoc modo. JESUS, adscensu superato cōsedet in montis fastigio; discipuli in proclivi montis latere propius eum cingunt; turba magis ad inferiorem clivi partem se collocat. JESUS autem ex herbido toro oculos desuper vertit aut in discipulos aut in turbam, aut in utrosque vicissim, et sic orationem, Matth. V—VII et Lue. VI relatam, habet. — Libenter quidem concedimus nostris quoque diebus conciones sub divo magnas haberī, coram quibus oratores multis verbis gravissimas res exponunt 1). Attamen certo certius id etiam scimus, magnum intercedere discrimen Orientales inter gentes atque Occidentales, magnum inter JESU aequales atque nostros, ita ut jure credere liceat eos, qui illi sententiae calculum adjiciunt, nimis ab historia recessisse. Argumenta vero, quibus sententiam illam rejiciendam esse arbitramur, haec sunt: 1º. nimis JESUM fatigasset tam longa oratio, sub divo habita, quippe quae, ut ab omnibus audiri potuisset, altissima

1) E. c. conciones Methodistarum et quae vulgo vocantur „meetings.”

quidem voce et optimis tateribus efferenda fuisset;
 2º. homines minime cogitari possunt tanta quiete
 suis in ordinibus se tenuisse, quum JESUM loquen-
 tem audierint, si modo rationem habemus ipsius
 turbae, quae constabat hominibus utriusque sexus,
 omnis generis, aetatis, consilii; 3º. talis oratio, de
 quali sermo est, non accommodata erat auditorum,
 qui aderant, ingenii; et 4º. ipse Evangelista prior
 monet JESUM eos *docuisse* (V: 2), quod quidem
 verbum plane alio sensu usurpatum, quam »*habere*
orationem.” Si igitur negamus, hanc fuisse do-
 cendi rationem, qua JESUS turbam in monte com-
 morantem instituerit, summo jure a nobis quaeri
 potest, quamnam docendi rationem nos igitur sub-
 stituamus. Ad quam quaestionem haud inviti sed
 sponte ac libenter respondere volumus, quia his-
 toriam ipsam nobis videmur ducem habere, rem
 hoc modo exponentibus. Prouti antea jam dixi-
 mus, JESUS delectabatur commoratione in mon-
 tibus, qui mare Galilaceae cingunt. Quando turba,
 quae ubique fere JESUM sequebatur, ibi eum adesse
 cognoverat, eodem affluxit. Quod quum Dominus
 vidisset, contulit se in montis planitatem, quae
 opportunum locum praeberet, in quo homines se
 collocarent et ipse de rebus coelestibus agere com-

mode posset. In eo loco diu, fortasse per totum diem, manebat cum multitudine, donec quidem crepusculum illum cogebat eam dimittere, ut refugium adventante nocte quaereret. — Antequam vero respondetur ad quaestionem propositam, scilicet : »quamnam docendi rationem JESUS sequi soleret», haud alienum videtur breviter agere *de ipsa*, quae praesens aderat, *multitudine ejusque conditione in monte aequo.*

Multitudo, quae quovis fere loco JESU ad pedem instabat, colluvies fuit hominum ex variis regionibus conflata, ex Judea, Decapoli, Hierosolymis; nec non venerant incolae urbium Tyri ac Sidonis, qui, ut ita dicam, semigentiles erant. Illi vero, qui ex eadem regione oriundi sic etiam communitebantur dialecto, sese conjunxerant; ita ut multitudo variis popularium catervis constaret, quam ob causam Evangelista etiam mentionem fecit de ὄχλοις. Continebant hi ὄχλοι viros et mulieres, senes et pueros. Etsi autem plerique pauperes et egentes erant, non raro tamen inter eos cernebantur scribae et pharisaei. Unde jam patet non omnes JESUM adiisse eodem consilio. Quodsi enim multi eum videre et audire studuerunt, ut animi desideriis satisfacerent, et veram vivendi

rationem discerent, haud pauci quoque mera curiositate, lucri studio aliisque impulsionibus ducti fuerunt. In quibus non omittendi sunt illi, qui IESU insidias struere conabantur, et nil nisi suspectum aliquod verbum aut factum anxie exspectabant, quod odium principum Judaeorum excitare posset vel jam flagranti et internecivo odio novum praebere pabulum.

Qualis autem variae hujus multitudinis *conditio* fuit in plano monte? Luce clarius est non omnes omnino homines, quibus constabat, quorumque numerus magnus erat, simul IESUM audire ejusque institutione uti potuisse. Paucis modo contigit, Magistrum prope cingentibus, ejus praesentia ac salutiferis verbis immediate frui. Ceteri catervatim aut humi conserderunt aut steterunt inter se sermones habentes, dum hic et illic alii interdum multitudinem relinquabant, alii hinc se adjungebant.

Discipuli vero plerumque proximi in IESU vicinia fuerunt; haud raro tamen, aut inter se invicem aut cum turbis se commiscentes, cum aliis hominibus communicabant res gravissimas, a IESU quidem jam dictas, non vero ab omnibus auditas vel intellectas. Multitudine ejusque conditione in monte sic cognita, pervenimus ad summam hujus capitis i. e. ad inquisi-

tionem de ratione docendi, quam Jesus, dum in monte versabatur, in multitudine hominum instituenda sequebatur.

Vidimus paucos tantum homines JESUM propius cingere potuisse, quibus verba verae [vitae traderet. Nec nisi brevi tantum apud eos manere ipsi Domino licitum fuit. Millia enim hominum adventum ejus exspectabant, quibus omnibus satisfaciendum fuit, et quos omnes Dominus Iubens voti compotes facere voluit. Pauca igitur sed gravia proxime adstantibus locutus, hos relinquebat, ut statim se conferret ad alios, quibuscum stans vel sedens aliquantulum temporis conversaretur. Perinde identidem, postquam ab aliis recesserat, alios quaerens auditores, totam turbam docens perambulavit, ita ut cum singulis deinceps hominum catervis singulisque fere hominibus sublimem suam divinamque doctrinam communicaret. Facile autem intelligitur JESUM continuis illis laboribus subinde fatigatum fuisse. Hanc ob causam nonnunquam in montem a multitudine recessit, ut quiete, qua ipsi opus erat, frucretur, et novis recreatus viribus institutionem, in breve tempus abruptam, parvam post intercedinem renovare posset. Ne tamen quis putet, tali docendi ratione perturbationem quamdam inter millia homi-

num oriri potuisse, quia scilicet illi, qui semel tantum JESUM loquentem audierant, non amplius a latere ejus recedere voluissent. Hanc objectionem omni vi carere patebit, si solum attendamus ad *eam docendi formam*, qua JESUS utebatur. JESUS enim pedetentim per multitudinem procedens, interdum hic atque illie subsistens, suā docendi ratione effecrat, ut nemo vim verborum non expertam habuerit.

Hic enim singula breviter dicta pronuntiaverat, quae cum essent adagia aculeata, aut paradoxa, in aliis meditationes excitabant, inter alios colloquia. *Illi* parabola usus erat, de cuius sensu multi inter se disputabant, ejusque simplicitatem nec non pretium ac veritatem admirabantur. *Alibi* vero brevis expositio officii cuiusdam, pertinentis ad vitam religiosam, civilem sive domesticam, animos occupabat. Itaque JESUS in totam multitudinem vim exseruit verbis, quibus in singulos homines spiritum suum transfudit, iisque — etiamsi nec praesentia illius immediate gaudere nec verba audire poterant — profuit omnibus.

Hujusmodi igitur, teste historia, uti solebat JESUS docendi ratione, qua quidem unice perficere potuit gravissimum sibi impositum opus, ad coelestia scilicet instituere multitudinem, quae tam variis

hominibus constabat; atque hoc modo per omnem
fere diem in hominum multitudine degebat, donec
dilusculo coactus eam a se dimitteret.

Si vero haec unica fuerit docendi ratio, quae
quidem institutioni IESU accommodata esset, simul
necessario cum impedivit, quominus *continuam
orationem* habere potuerit.

C A P U T I V.

DE UNICO MODO QUO EA QUAE JESUS OLIM DOCUERAT
A DISCIPULIS SERVARI POTUERINT.

Patuit jam nobis, qualis fuerit docendi ratio qua JESUS uti solebat quum ad multitudinem hominum verba ficeret. Primum autem et tertium Evangelium pericopen continent, quae continuam orationem in monte (unde montana vulgo appellatur oratio) et coram magna hominum turba habitam, complecti videtur. Hanc vero orationem ab ipso JESU sic ad verbum pronuntiatam fuisse, id plane, ut vidimus, ejus docendi rationi repugnat, nec non varias ob causas ne cogitari quidem potest. Quid igitur? Inquirendum nobis est in *modum*, quo ea, quae Jesus olim docuerat, servari potuerint, quo lucem affundamus huic pericopae.

Quaecumque aliquem loquentem audimus, haec cum aliis hominibus duplii tantum modo communicare possumus. Aut enim verba loquentis statim litteris mandamus, quas iis, qui verba non audiverunt, tradimus, aut hace ad illos ore proferre valemus. Accuratio sane est prior ille communicandi modus; imprimis vero si tempus aliquod praeterlapsum est, antequam audita, quae aut scripto aut memoria servantur, communicamus. Quod autem de nobis, aequa ac de omnibus ceteris hominibus, idem de Apostolis quoque valet. Apostoli enim IESUM de coelestibus rebus agentem audiverant. Quum autem eorum tempore adminicula scribendi pauca essent atque insuper sumptuosissima, ita rarissime adhibebantur. Nemo quidem illorum Apostolorum in mente habuerat — etiamsi concedatur id, quod non concedimus, huic rei opportunitatem datam fuisse — statim chartae mandare ea, quae ex ore Magistri proficiscebantur. Apostolis igitur nihil restitit nisi memoria retinere ea quae audiverant. Post tres autem annos ea, quae per totum hoc temporis spatium docuerat IESUS, cum aliis communicare studuerunt; et post multorum annorum decursum tandem hic vel ille chartae ea mandavit. Quam ob causam rogamus, *quo tandem modo ea, quae in*

Evangelii ut verba ipsius IESU commemorantur,
memoria discipulorum servari potuerint.

Quum IESUS divinam suam doctrinam hominibus traderet, non solum excelso verborum sensu, sed etiam suo ipsius habitu, corporis actione, obtutu, voce, toto igitur ore ac vultu suam exseruit vim, qua animos afficeret, excitaret, commoveret. Habitus enim praestans et gravis excitabat reverentiam; actio, quasi corporis sermo, vivae voci se adjunxit et utraque in unum conjuncta pictam quasi idcarum tabulam fingebat; obtutus approbabat aut improbabat; vox tenera aut contenta, dulcis aut minans homines amore aut metu replebat; quorum omnium summa salutifera haec fuit ut integer contextus intactus ac singula verba distinete aure haurirentur. Omnia autem haecce non silentio practermittenda sunt, quippe quae efficerent, ut discipuli attentius audirent, auditaque firmius mente reciprent. Triennio vero, per quod IESUS cum discipulis Palaestinam peragravit, coram iis singulatim repetere et illustrare solebat ea, quae identidem populum docuerat. Unde factum est, ut multae res multaque verba in memoriam discipulorum revocarenter, accuratius intelligerentur, altius menti insculperentur. Quum autem IESUS quotidie docere pergeret, et quotidianus etiam

novas res manifestaret; praeterea quum tempora et opportunitates, quibus docebat, valde varia essent: sponte patet res rebus ita accumulatas esse in mente discipulorum, ut nec omnium illarum sibi ipsi consciit essent, nec justo ordine illas disponere valerent. Postquam vero JESUS in coclos evectus erat, intellexerunt omnino Apostoli venisse tempus, quo ipsis per se agentibus opus, quod Dominus incepérat, continuandum esset. Quomodo vero aggressuri sint opus illud gravissimum? An mirum, si respexerint ad ea, quae Magister docuerat et fecerat, nec non ad illius docendi agendique rationem? Nonne sponte intelligitur eos omnia, quae cunque possent, verba ac facta in memoriam revocare conatos fuisse? Sed non eadem omnino omnes, sed singulos varia pro cuiusque charactere et ingenio memoria prosecutos fuisse, perspicuum est. Et sic quidem, — vel singulis sua vice in conventibus quae sciebant cum ceteris communicantibus, vel cunctis inter se de CHRISTO disputantibus, — sine dubio iis hocce modo aucta est copia rerum, quae per triennium in mente singulorum discipulorum repositae nunc autem illorum omnium communis fiebant possessio. Quum vero Apostoli, ut munere sibi imposito fungerentur, Hierosolymis Evangelium

denuntiarent, acquisita illa rerum copia, ut supra exposuimus, usi sunt. Quodnam enim consilium illi petierunt? CHRISTUM denuntiare voluerunt, i. e. argumentis probare JESUM esse MESSIAM. Argumenta vero illa non quaeri potuerunt nisi ex ipsius JESU verbis et factis. Itaque multa e vita JESU, praeceps ea quae facta erant in Galilaea atque ea quae passionem, mortem et resurrectionem spectabant, narrata sunt ab Apostolis, iisque praebebant argumenta. Quae quum identidem repetierint, fieri haud aliter potuit, quin verba verbis et facta factis jungendo duo sibi fixerint argumentorum *genera*. Hinc, ut ita dicam, *duae series* exstiterunt, altera *verborum, factorum* altera, quarum prior quidem accuratius nobis describenda est.

Hac series constabat breviter dictis, sententiis, parabolis, nec non sermonibus JESU. Rogamus igitur, utrum singulæ particulæ in hac serie certo quodam ordine se exciperent, necne. Ordinem *temporis* prorsus accuratum in illa quaerere non possumus. Nam copia rerum, quas discipuli memoriae manda-
verant, tam magna fuit, praeterea tempora, quibus singulas res JESUS tradiderat, tam diversa fuerunt, ut ne ipsi quidem Apostoli sermones sermonibus annectendo rite ad temporis rationes spectare po-

tuerint; nec tamen putandum est Apostolos temere ac inconsiderate, pro suo quemque arbitratu, singulas particulas una serie conjunxisse. Nam aderant sermonum omnino particulae, quarum nonnullae, idem consilium spectantes, unam efficiunt turmam; turmarum autem quodam numero continentur species. Hae in unum redactae unam efficiunt totum, quod diximus genus, et quod, quia gradatim ac continuo procedit, etiam seriei nomine distinximus. Quomodo vero dignosci potuerunt res, quae ad eandem speciem erant referendae? Discipuli quam ad docendi rationem, qua Magister uti solebat, respicerent, ut ipsi aptius illum denuntiarent, non potuerunt non meminisse diversam IESU fuisse docendi rationem *diversis pro auditoribus*. Omnino enim in mente habebant quomodo IESUS aut 1º. magnam hominum turbam instituisset ad res coelestes; aut 2º. discipulis dedisset mandata, futurum spectantia; aut 3º. discipulos populumve allocutus esset parabolis; aut 4º. adversariorum objectiones refutasset. Unde factum est, ut haec diversitas, in docendi ratione qua IESUS uti solebat conspicua, Apostolis etiam norma fuerit, qua varias res in varias species contulerint. — Eodem modo et facta IESU serie quadam conjuncta sunt.

Postquam igitur omnes fecerunt res, quas discipuli de

JESU sciebant, in duas illas series collata erant, constans etiam aderat *κήρυγμα*, quo singuli Apostoli JESUM esse CHRISTUM probarunt. Illi enim narrarunt et quotidie scire repetierunt singulas serierum partes, quae inde firmo firmius ipsarum menti insigebantur. — Sic igitur *memoria* discipulorum servata sunt illa, quac JESUS olim docuerat. Haec deinceps litteris mandata et posteris tradita sunt. Hic autem videtur esse locus, quo pauca moneamus de *origine* Evangeliorum synopticorum.

Certo quodam tempore nobis ignoto verba et facta JESU primum chartae mandata sunt. Quum autem, ut vidimus, τῷ οὐρανῷ constans verborum factorumque JESU narratio exstiterat, primus scriptor διηγήσει suac non aliam formam dare potuisse videtur, quam eam, quac τῷ οὐρανῷ propria fuit. Haecce prima διηγήσις seriem inprimis sermonum JESU [τὸ λόγιον], secunda deinceps seriem imprimis factorum amplexa est. Utraque conscripta fuit sermone Aramaico. Ex utriusque autem conjunctione Evangelium primum Graecum, quod nunc quidem possidemus, ortum putamus. Posterioris autem scripti ἐρμηνεία Evangelium Graecum Marci nobis videtur. Scriptores utriusque hujus Evangelii Graece conscripti, quamvis non indicant fontes, quos consu-

lucrunt, attamen τῶν λογίων interpretationibus, quarum mentionem Papias fecit, usos suisse haud improbabile est. LUCAS vero initio suae διηγήσεως accurate narrat se pro fontibus scripta τῶν πολλῶν [interpretationes τῶν λογίων] et traditionem oralem in suum usum adhibuisse.

Ratione habita consilii, quod hac disquisitione petitus, satis dixisse nobis videmur de modo, quo dicta factaque IESU, quae discipuli memoria persecuti sunt, litteris mandata et postcris tradita sint. Rogari adhuc potest, undenam desiderium *scriptorum* Evangeliorum ortum sit; quis primus Evangelium conscripserit; quales fuerint illae multae διηγήσεις, quarum mentionem LUCAS et Papias fecerunt; ubinam singulae illae διηγήσεις lectae sint; quae causa fuerit, ut omnes, exceptis tribus Evangelistarum synopticorum commentariis, perierint. — Ad has vero quaestiones respondere, id quidem non hujus loci esse existimamus. Sed huic capiti finem imponere non possumus, antequam breviter exposuimus, *quid* ex multis rebus, quas olim IESUS docuerat, memoria discipulorum servari potuerit.

Experientia satis docet *summam* tantum eorum, quae magister aliquis paucis horis nobiscum communicaverit, nostra memoriā potuisse retineri. Uni-

cuique vero animum advertenti ad unum tantum diem e vita IESU, quem eo, quo supra descripsimus, modo peregit docendo, sponte manifestum fit, parvum ejusmodi librum, ut est Evangelium, haud amplecti omnia, quae quidem uno die locutus erat IESUS. Verum non modo uno die, sed per mille dies et qui supersunt tali ratione homines docuit. Non mirum igitur est, quod quarto Evangelio finis imponatur his verbis: *Ἐστιν δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ δοκεῖ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἀτιναὶ ἐὰν γράψῃται παθ' ἧν, οὐδὲ αὐτὸν οἴμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία.* Quis autem omnia a IESU dicta factaque memoriam hominum potuisse servari putabit? Nonnulla quidem breviter dicta vel aphorismos, qui vel paradoxam fuerunt vel pronuntiati magna quadam cum emphasi, ad litteram menti discipulorum insculpi potuisse concedimus; attamen omnium eorum, quae IESUS docuerat quotidie per triennium, *summam* tantum mente recipi potuisse luce clarius nobis videtur. Roganti autem, *quid* seu quarum rerum summam pericope, Matth. V—VII obvia, contineat, respondere facile possumus. Saepius in montium planicie hominum turbam docuerat IESUS eo, quem supra exposuimus, modo. Summam autem multorum, quae ibi per plures dies locutus erat IESUS,

memoria persecuti sunt discipuli, et illam in seriem sermonum τοῦ κηρυγματος receperunt. Quum vero haec series constiterit pluribus fasciculis, summa quoque, de qua nos nunc agimus, colligata erat eo fasciculo, quo conjuncta fuerunt illa, quae JESUS hominum turbam docuerat. Discipuli vero, diversis in locis JESU institutione qua et ipsi et turba fruebantur usi, *loci* quidem non vero *temporis* rationes semper spectare potuerunt, quum res auditas memoriae mandare conati sunt. Unde factum est, ut fasciculus ille continuerit plures minores fasciculos, qui singuli amplexi sunt summam sermonum, quos coram turba habuit JESUS singulatim et in montanis, et in synagogis, et in templo. Primus horum, quos diximus, minorum fasciculorum fuit oratio q. d. montana, quae Matth. Cap. V—VII et Luc. Cap. VI occurrit.

Etsi omni tempore fuerunt, qui pauca tantum de JESU ad nos pervenisse quererentur, nos tamen ea, quae nunc habemus, licet pauca, sed quae prorsus sufficient ad optimum Magistrum plane cognoscendum, posteris tradita esse admiramur, et hacc quidem summo habemus pretio.

C A P U T V.

DIFFICULTATUM SINGULARUM SOLUTIO.

Postquam et rationem, qua JESUS multitudinem hominum in montanis ad res coelestes instituere solebat, et unicum modum, quo ea, quae JESUS docuerat, servari potuerunt, ut nobis videtur historia duce, exposuimus, historicum omnino fundamentum jecimus, cui superstruere possumus disquisitionem, quae versabitur in dirimendis singulis difficultatibus. Priusquam vero ad hanc disquisitionem procedimus, pauca praemittenda videntur de penso Interpretis, qui in difficultates tollendas inquirit. Hoc pensum duplex esse potest. Si enim, instituto examine, pateat difficultatem aliquam revera exstare, Interpretis est summa ope niti ut illam expedit; quodsi contra pateat difficultatem nequaquam adesse, Interpretis est dilucide

exponere illam non exstare. Nam difficultas, etsi a multis pro tali habeatur, si nulla esse probatur, sponte etiam evanescit. Hisce igitur praemissis, tollere studebimus singulas difficultates, quas eodem ordine ut supra se invicem excipendas esse curabimus.

Difficultates, quae oriuntur e contemplatione orationis montanae, Matth. V—VII, per se spectatae.

Prima difficultas in eo consistit, quod nonnulli statuant orationem, de qua agimus, ad verbum memoria servari non potuisse; quum alii, majorem vim memoriae tribuentes, id omnino fieri potuisse perhibeant.

Utraque hacc sententia originem suam duxit ex praejudicata quadam opinione Interpretum, quippe qui statuerint pericopen (Matth. V—VII) continere continuam, a IESU semel tantum habitam, orationem. Quum enim utriusque sententiae vindices putarint doctrinam IESU memoria tantum potuisse retincri, sponte quoque eo ducti sunt, ut disputarent de vi memoriae humanae. Verum supra exposuimus historica via, pericopen, de qua sermo est, non complecti orationem IESU continuam, sed

summam eorum multorum, quae JESUS in montium planitie per plures dies turbas hominum docuerat. Quod si ita sit, disputari quidem licet de humanae memoriae vi ex rationibus psychologicis; attenuat ratione habita orationis montanae, quippe quae non sit oratio continua JESU, illa de re sermo esse nequit. Haec igitur prima difficultas evanuit.

Secunda difficultas hujusmodi est: secundum nonnullos *oratio montana nimis artis legibus respondet*, quam ut JESUS eam habere, aut eam habens audientiam sibi facere potuerit, qua auditorum judicium provocaret; quum ab altera parte huic sententiae opponitur exclamatio: aesi Dominus loqui non potuerit, nisi spretis rerum dispositionis et contextus rationibus.

Haec autem difficultas, aequa ac antecedens, nititur opinione praecjudicata tanquam fundamento. Si enim accipias MATTHAEUM ad verbum retulisse orationem continuam, a JESU habitam, tum demum difficultas, modo dicta, oritur. Quum vero nos firmitius historicum nempe fundamentum jecerimus, novum quoque auxilium nobis suppeditatur ad difficultatem auferendam, cuius hic mentio fit. Supra enim exposuimus, Apostolos per τὸ οὐρανόν sum-

mam omnium eorum, quae per plures dies in montanis turbam hominum docuerat JESUS, in unum fasciculum redegisse, et primum scriptorem argumentum hujus fasciculi litteris mandasse. Hic autem scriptor res, quas fasciculus ille continuit, coneinno ordine se invicem excipiendas, quoad quidem potuit, curavit, ut unum integrum totum chartae traderet. Quodsi igitur haecce cognita habeamus, difficultas nobis quidem haud amplius adest, et exclamatio, de qua supra (pag. 11 et 48) sermo fuit, tanquam omni sensu carens, vana tantum verba continet.

Tertia difficultas hue redit: *in oratione, a Mattheo relata, fragmenta inveniri, quae, quamvis diverso contextu, etiam occurrunt in Evangelio Lucae [excepto Cap. VI] vel Marci.* Haec fragmenta ab uno tantum Evangelista suo loco, i. e. vero loci ac temporis ordine, a ceteris alieno loco commemorata esse interpretibus videntur. Si autem reputemus, JESUM quaque vitae suae publicae die ea, quam supra descripsimus, ratione docuisse, certo certius persuasum nobis est, Dominum nonnulla breviter dicta, sententias, parabolas vel praecepta diversis locis et temporibus repetiisse. Quo saepius vero JESUS iisdem verbis

utebatur, vel de iisdem rebus agebat, eo certius et firmius verba illa et res memoriae discipulorum quasi insculpcabantur. Quum postea verba sive sermones JESU, quos discipuli mente receperant, modo supra dicto in fasciculos conferebantur, ea quidem, quae Dominus bis vel saepius diversis locis ac temporibus docendo repetierat, proinde etiam duobus vel pluribus fasciculis repetita conjungebantur. Quod cum factum sit per Apostolorum *προφητας*, quo constans narratio verborum factorumque JESU sensim sensimque exstitit, fieri non potuit, quin ii, qui constantem illam rerum ad JESUM spectantium narrationem chartae mandare susciperant, res et verba, a JESU repetita, diverso loco et contextu suae διηγήσει injungerent. — Sic autem nobis manifestum est, argumenta interna, quibus ducti interpretes unitantum Evangelistae in his verbis repetitis referendis fidem tribuant, ceteris abnegent, omni vi carere. Hacc igitur difficultas, quum orta sit ex opinione praejudicata, pericopen, Matth. V—VII obviam, continere orationem continuam, a JESU habitam, hac opinione rejecta atque omni re in historiae luce posita, sponte tollitur.

Difficultates, quae profluunt ex oratione, quae Matth.

*V—VII refertur, collata cum Cap. VI Iucae,
qui ibi eandem orationem retulisse censetur.*

Ad has difficultates *primo* loco referenda est haec: *utrumque Evangelistam narrasse orationem montanam, sed diverso tempore habitam.* Unde aut alteri tantum Evangelistarum vel utriusque, ratione temporis habita, abnegant fidem interpretes, aut hanc utriusque tribuunt.

Quod in recensendis antecedentibus difficultatibus valuit, idem hic valet. Accepta enim opinione, qua statuitur *utrumque Evangelistam referre voluisse continuam, a JESU habitam, orationem, tum demum in tempus, quo oratio sit habita, inquire et de Evangelistis quaeri potest, uter justo tempore cam retulerit.* Quum vero nobis patuerit opinionem istam esse praejudicatam, et utramque pericopen (et Matth. V—VII et Luc. VI) continere summam eorum, quae per plures dies i. e. diverso tempore docuit JESUS, nos, historico hocce fundamento nitentes, facile hanc difficultatem dirimere possumus. Nam vidimus discipulos, aut JESU sermones memoriae suae tradentes, aut illius verba in fasciculos redigentes, temporis rationes nequaquam spectare potuisse. Porro etiam

perspicuum est fasciculos hos non temporis ordine se invicem excepisse, sed singulos singulatim in CHRISTO denuntiando ab Apostolis adhibitos fuisse. Unde facile efficitur, quomodo factum sit, ut illi, qui primum fasciculos sermonum IESU scriptis manda-
verunt, — nisi sequens scriptor antecedentis opere usus sit, quod negavimus, — diversum ordinem in jungendis fasciculis non sequi non potuerint. Sic LUCAS in sua διηγήσει alium omnino locum, quam MATTHAEUS, dedit fasciculo, qui orationem q. d. montanam continet. Quae si ita sint, difficultas quoque non amplius exstat, quia de tempore quo habita sit haec oratio i. e. summa eorum, quae JESUS diversis suae vitae temporibus docuit, sermo esse nequit.

Secunda et tertia difficultas hic apte conjungi possunt. Utraque enim conjuncta huc reddit: Matthaeus in monte et sedentem, Lucas contra in loco campestri et stantem Iesum orationem habuisse narrat. Hae discrepaniae non praebent difficultatem, nisi ponatur, quod huc usque interpres plerumque posuerunt, utrumque Evangelistam continuam a IESU habitam orationem retulisse.

Quodsi vero rem bene perspicimus, et historico,

quod jecimus, fundamento nitimur, omnis difficultas nobis evanescit. JESUS enim in plurium montium planicie saepius hominum turbam ad res coelestes instituerat. Nam delectabatur versando in montibus, et praesertim in iis, qui in vicinia urbis Caper-naumi erant. Planitem sane quamdam in monte aliquo significare voluit MATTHAEUS verbis εἰς τὸ δρόσος, LUCAS verbis ἐπὶ τόπου πεδινοῦ. Quum igitur JESUS, ut supra diximus, quamvis deambulans, hie et illic tamen subsistens aut considens, homines docuisseisset, Apostoli, summam eorum, quae JESUS in montanis tradiderat, populo communicantes, modo illum stantem, modo sedentem docuisse dixerunt. Unde nil mirum esse putamus, quod alter Evangelista JESUM sedentem, alter eum stantem dixcrit.

Quarta difficultas exprimitur quaestione: ad quosnam auditores Jesus orationem montanam egerit. Alii enim JESUM discipulos tantum, alii discipulos et turbam hominum hac oratione allocutum esse dicunt.

Haec etiam difficultas originem suam duxit ex opinione praejudicata, qua ponitur orationem montanam esse orationem continuam, a JESU habitam. Sed oratio montana — ut vidimus, — qualis ab

Evangelistis relata est, continet summam tantum eorum multorum, quae JESUS in montibus homines docuit diversis temporibus. Praeterea rationem, qua JESUS in montanis turbam docuit, satis cognitam habemus; scimus JESUM per turbam procedentem, passim tamen subsistentem, ut homines, qui proximi cum cingebant, identidem alloqueretur, sensim sensimque singulis deinceps nonnulla communicasse. Quibus igitur bene perspectis, sponte patet nullam inveniri causam quaerendi, utrum JESUS discipulos tantum an vero discipulos cum turba hominum conjunctos allocutus sit oratione, summam scilicet complectente eorum, quae JESUS per varios dies docuit, dum versabatur cum multitudine in montanis. Quam ob causam haec etiam difficultas sublata est.

Ultima difficultas hocce modo circumscribi potest: *in relatione Lucae, per se spectata, perspicua dispositio desideratur; relatio Matthaei longe praececcellit magnitudine relationi Lucae, quamvis hic nonnulla narrat, quae apud Matthaeum non inveniuntur.*

Et hacc difficultas orta videtur ex opinione praedictata, scilicet: pericopas, Matth. V—VII et Luc.

VI obvias, continere unius orationis continuae, a JESU habitae, narrationem; qua quidem opinione ducti, ut supra vidimus, eam difficultatem sibi effinxerunt interpretes. — Quum autem haec opinio refutata sit eo quod historia nullam nobis servaverit continuam JESU orationem, nullus inter eos, qui agunt de his pericopis, sermo esse potest vel de dispositione unius orationis, a JESU habitae, vel de ambitu hujusmodi orationis primario. A nostra igitur parte difficultas hic nulla exstat.

Sed pauca his addamus, ut magnum explicemus discrimen, quod MATTHAEI inter ac LUCAE narrationem intercedit. Uterque omnino Evangelista expressam doctoris publici effigiem chartae tradere voluit; quam ut traderet, tanquam fonte usus est constanti illa verborum factorumque JESU narratione, quae τῷ κηρυγματι formata erat. Uterque vero omnes animi sui facultates totumque characterem integrum atque intactum servabat in consilio, quod quisque modo sibi peculiari exsecutus est. Quum igitur uterque Evangelista chartae mandaverit cum sermonum fasciculum, qui continuit illa, quac JESUS diversis temporibus in montanis homines docuerat, non mirandum est, quod LUCAS multo minorem ambitu orationem, quam MATTHAEUS, dederit. Nam

ex toto Evangelio tertio facile efficitur, hujus scriptorum delectari solere plastice historia conscribenda 1). MATTHAEUS, quum longe plura, quam LUCAS, ex illo sermonum fasciculo hauserit, etiam ea, quae narravit, meliore contextu conjungere potuit. Inde explinandum nobis videtur, cur in oratione quam MATTHAEUS tradit magis perspicua inveniatur dispositio, quam in illa, quae in LUCAE occurrit narratione.

1) Eandem ob causam intelligitur etiam MARCUM, qui historiam, ut ita dicam, narrat, non scribit, ex illo sermonum fasciculo nihil fere retulisse.

C A P U T VI.

DE ARGUMENTO AC IDEARUM CONNEXU IN ORATIONE
MONTANA.

Sublatis, quac orationis montanae interpreti huc usque se obtulerunt, difficultatibus, inquiramus nunc in hujus pericopes argumentum ac dispositionem. In hac autem disquisitione liberius nos agere possumus, quam ii, qui continuam IESU orationem hac pericope contineri existimant. Hi enim affirmant, JESUM non nisi logicae dispositionis legibus observatis orationem montanam habere potuisse; prohibent porro, ubi in hac pericope logicus cogitatorum nexus vel perspicuus rerum contextus deficere iis videatur, ibi quoque nonnulla ab Evangelista aut omissa aut aliunde illuc translata esse. Sic omnes fere interpretes maiores quasdam minoresve

partes, ut ad orationem montanam non pertinentes, huic pericopae insertas esse statuunt 1).

Nos vero primum indicavimus hanc pericopen non continere continuam JESU orationem, sed summam eorum, quae JESUS per plures dies in montibus multitudinem hominum docuerat; vidimus porro argumenta interna, quibus ducti interpretes varias partes ex hac pericope elidunt, probandi vi carere; et sic hanc pericopen, qualem se nobis integrum offert, nunc adire possumus, ut ejus argumentum et dispositionem indagemus.

Fortasse mirum alicui videri possit, nos de novo tractare rem, de qua permulti viri docti accurate jam egerunt. Horum autem licet multorum labor nos a consilio, quod ceperamus, non absterruit; quin potius nos magis impulit ad illud consilium exsequendum. Indefessus ille labor tales fructus secum tulit, quibus omnino uti possumus, ut aptius

1) Ex hac pericope elidit scilicet NEANDER Cap. V: 19—VII et VII: 6—11. MEYBOOM Cap. VI: 9—13, 22, 23 et VII: 7—11; VAN OOSTERZEE Cap. VI: 9—13 et verosimiliter VI: 14, 15, THOLUCK verosimiliter VI: 19 sq. interpolata esse putant; DE WETTE orationem quodammodo tantum amplificatam esse concedere se posse dicit; CALVINUS, HASE et alii permulti elidunt eam hujus pericopes partem, quae vulgo oratio dominica dicitur.

id perficiamus, quod nobis hac disquisitione proposuimus. Lectu autem dignissima sunt nobisque utilissima fuerunt imprimis ea, quae doctissimus HARTING 1) scripsit de orationis montanae dispositione. Hic auctor varias variorum interpretum dispositiones recensuit, et de iis suum pronuntiavit judicium. Has autem dispositiones vel iisdem vel aliis verbis repetere a nostro consilio alienum est. Sed ea, quae auctor exakte contulit, in nostrum usum convertentes, ejusque vestigia prementes, eodem quo ille modo interpretes, qui quamdam orationis montanae dispositionem invenerunt, in duas dividimus classes. Sunt scilicet qui thema quoddam sive argumentum princeps invenisse sibi videantur, quod, quamvis in singulis orationis montanae partibus iterum iterumque aliis verbis repetitum, facile tamen ex omnibus illis partibus cognosci possit. Sic igitur singulae orationis partes tam arcte coherent tamque logice congruunt, ut unum efficiant pulchrumque totum 2). Alii, quamvis minime

1) *Jaarboeken voor Wetenschappelijke Theologie*, t. XIII, p. 5.

2) THOLUCK et alii locum Matth. V: 17—20, MEIJER et alii locum Matth. III: 2 et IV: 17, alii Matth. V: 48 pro themate habent. Plurum autem, qui singulas orationis partes certo cuidam themati subordinant, dispositiones nimis artis rationibus respondere, satis jam exposuit HARTING I. I.

thema aliquod orationis montanae admittunt, concinnum tamen rerum ordinem atque connectionem in ea facile inveniri posse arbitrantur. Quum autem HARTING illis se annumeraverit, nos vero hos sequamur, paucis exponamus, quae qualisque sit HARTINGII dispositio. Optime meruissc vir doctissimus nobis videtur de omnibus, qui pericopen, de qua agimus, recte intelligere et explicare student. Accurate enim omnia verba ac res, quae hac Novi Foederis parte continentur, posuit in luce illius temporis, quo ipse vixit JESUS; quod nisi fiat, vera hujus pericopes notitia nequaquam acquiri possit. Quaecumque autem disputaverit HARTING, haec summam et narrare conabimur.

Orationem montanam *concreto-historice* intelligendam esse putat, atque in ea explicanda animum advertere oportet interpretem imprimis ad homines, qui JESUM circumstabant. Nam JESUS oculos suos non vertit trans auditores in certum quoddam objectum, quod *abstracte* tantum mens sibi informare potest et cui nomen dat »genus humanum»; sed allocutus est ipsos viventes homines, qui praesentes aderant.

Haec JESU oratio, inquit, appellari potest *illorum temporum*, quibus JESUS vixit, *contemplatio*, qua communicanda Servator, vitam publicam iniens,

in mundo et contra mundum, qui eum circumdabat, ad opus suum prodiit. Ut autem varias hujus orationis partes facilius uno argumento breviter comprehendenderet, quo simul omnibus contextus rationibus rite responderet, tanquam in capite orationis hoc posuit thema sive hunc titulum, scilicet: *Dei regnum oppositum regno mundi peccato obscurati, in quo illud regnum condebatur.* Quo themate posito, orationis montanae eam dedit dispositionem, quam breviter sed accurate, ut speramus, hoc modo describimus.

Loquendo incipit JESUS, oculos vertens in bonos illos e populo, qui solatii desiderio ducuntur et luctu afficiuntur de grege populi, in dies magis in exitium vergentis. Ea, quae requiruntur in bonis regni Dei civibus (vs. 11) horumque commoda et officia exponit (16).

*De discrimine Dei regnum inter atque mundum,
qui illud regnum circumdabat.*

JESUS loquitur in scribas, litterac emortuae serviliter adhaerentes, quorumque criminationem, inse projectam, repercutit; probat nimirum scribas, nec vero se, Mosaicam abrogare legem (17 - 48).

In pharisaeos, homines nimirum hypocritas et ostentatores (VI: 1—18).

In eos, qui terrestribus tantum rebus enixe student, in servos mammonae (19—24). Exponitur ibi discrimen, quod intercedit curam inter et sollicitudinem (25—34).

*De pugna Dei regnum inter ac mundum sive
adversarios illius regni.*

In illos Judaeos, qui, calumniandi studio ducti, virtutis famam sibi inde venantur, quod magno supercilie saeviant in lapsus alios (VII: 1—5).

In illos, qui credere obstinate abnegant (6).

In falsos prophetas (13).

*De agendi ratione, quam sequi debent Iesu
milites in hac pugna.*

Agendi ratio, quam in hac pugna praescribit JESUS discipulis suis, ejusmodi est, ut evadant

lenes et modesti (VII: 1);

cauti ad aliquem convincendum (6);

diligentes et perseverantes in precando (7—11);

liberales amore fraterno (12);

non sibi timentes molestiam et aerumnas (13, 14);

prudenter agentes adversus falsos prophetas, quos

ex ipsorum fructibus cognoscere possunt (16—20); eadem igitur utentes judicandi norma, qua aliquando JESUS utetur, ultimum habiturus judicium (21—23).

In *peroratione* JESUS opponit stabile a se conditum aedificium vago mundi aedificio, firmum caduco, perenne fragili, quod omni caret fundamento (24—27).

Ex hisce abunde patet, doctissimum HARTING orationem montanam pro continua JESU oratione habere; simul autem concedit fieri posse, ut ea nunc non omni ex parte talis legatur, qualem ipse JESUS eam habuit. Haud enim improbabile ei videatur, a tertio Evangelista illam orationis partem, quae Oratio Dominica appellari solet, vero suo loco veroque contextu relatam esse, hanc igitur partem ad orationem montanam non pertinere. Quum autem supra exposuerimus, quae qualisque sit nostra de hac pericope sententia, nos HARTINGIO haud assentiri in variis rebus, quas deduxit ex iis, quac de continua oratione prohibuit, nemo non intelligit. Haec vero singula hic recensere non opus est, quippe quae satis cognosci possint ex tota nostra dissertatione. In eo autem convenimus cum HARTINGIO, quod et nos putemus, hanc pericopen amplecti unum inc-

grum totum, cuius partes concinne se invicem excipiunt et arcte secum invicem cohaerent. Quae vero, si quidem adest, dispositio sit orationis, quis singulas inter partes nexus, id non nisi diligent inquisitione ex ipsa hac pericope effici potest.

Nunc nobis liceat nostrum proferre judicium de dispositione, quam in hac pericope HARTING invenit, qui, ut vidimus, thema quoddam orationis montanacassumsit. Mirandum autem nobis videtur, quod universe in hujusmodi oratione, cuius singulae partes logice congruant et ex uno deductae sint themate, ipsum hoc thema pronuntiatum non reperiatur. Istud autem non ita presse urgemos, dum alia nobis superest animadversio, scilicet: JESUS vixit in hisce terris ut regnum conderet coeleste i. e. ut inter homines novam excitaret vitam quam coelestem, atque ita peccato eriperet potestatem. Huic consilio exsequendo omnia ea inserviebant, quae ipse dixit fecitque. Dicta autem factaque JESU, quae litteris mandata sunt, omnia apte subordinari possunt sub hoc titulo: *regnum Dei mundo oppositum*. Si quis igitur putet, CHRISTUM orationem montanam publicae suae vitae initio habuisse et coquidem consilio ut exponeret ea, quae sibi proposuit, is facile eo ducitur ut haec pro themate habeat

illius orationis. Sed quamvis hoc thema exprimat consilium, quod IESUS ipsis quoque hujus pericopes verbis persecutus est, nondum tamen consilium illud pro themate hujus pericopes accipi potest.

Sed videamus, quomodo secundum HARTINGIUM thema sive princeps argumentum, ab eo positum, regnet in singulis orationis partibus. Dicit ille hac oratione actum esse *primo* de requisitis in Dei regni civibus, de privis eorum juribus officiisque; *secundo* de discrimine Dei regnum inter ac mundum pravum; *tertio* de pugna Dei regnum inter ac mundum sive regni divini adversarios, nec non de agendi ratione, quam in hac pugna sequi debent IESU discipuli. Quodsi autem sic disposita esset oratio montana, haec sine ullo dubio sacra potius occidentalium concio quam summa dicenda esset eorum, quae IESUS per plures dies in montibus coram hominum multitudine docuit, discipuli collegerunt, primus scriptor concinno ordine disposit. Sed sic quoque dispositio nimis abscondita esset, quam ut quis totam orationis structuram ex ipsa oratione intelligere posset. Præterea non intelligimus, cur altera orationis parte, Cap. V: 17—VI: 34, discriminem Dei regnum inter ac mundum, altera vero, Cap. VII: 1—23, pugna inter utrumque

exponi dicatur. Illa pars haud magis *discrimen* indicat quam pugnam, haec pars haud magis *pugnam* quam *discrimen*. Sine dubio doct. HARTING vel ipse jam sensit *pugnae* titulum Capiti VII non sufficere, dum huic titulo alterum adjunxit huncce: *de agendi ratione discipulorum Jesu in hac pugna.* Has igitur ob causas illa, quam HARTING proposuit, dispositio, licet ingeniosa, nimis tamen quaesita nobis videtur et artificiosa magis quam vera. Titulos autem: *discrimen*, *pugna* et *agendi ratio in hac pugna*, quibus singularum partium argumenta indicantur, magis deductos ex ipso themate, quod sibi invenerat vir doctissimus, quam haustos esse et hauriri posse ex ipsa hac pericope, arbitramur. — Quac vero nostra sit hac de re sententia, breviter exponamus. E pluribus hujus dissertationis locis jam apparuit, nos in hac pericope non invenisse orationem tam striete secundum artis leges confectam, ut tota logice evoluta sit uno e themate, quod in singulis orationis partibus, quamvis aliis verbis, ubique tamen dilucide redeat. Res sane mira videretur nobis, quin et historiae repugnans, si in Evangelii orationem quandam inveniremus, quae, simplicem et gnomicum Orientalium sermonem redolens, omni tamen ex parte

artis Occidentalium rationibus respondaret. Sed hac omissa animadversione, repetamus tantum ea, quae jam saepius commemoravimus, vel quae facile ex supra jam dictis deduci possunt. Consilium, quod JESUS docendo et vivendo secutus est hoc fuit, ut conderet Dei regnum. JESUS igitur, ubicunque versaretur, vel in templo vel in synagogis vel ad ripam maris vel in monte, exposuit auditoribus: qui qualesque essent divini hujus regni cives, quaenam esset necessitudo suam religionem inter ac religionem Mosaicam, quonam modo homines fieri possent illius regni participes. Summa autem omnium, quae JESUS per triennium docuerat, a discipulis eo modo servabatur, quem supra jam indicavimus, ac summa eorum, quae JESUS in montibus per varios dies hominum multitudini communicaverat, ut ante observavimus, fasciculo quodam sermonum continebatur. Hic fasciculus materiam praebuit illi scriptori, qui primus sermones JESU litteris mandavit, ad orationem q. d. montanam conscribendam, materiam illam, quoad potuit, ita ordinando, ut lectori unum praeberet integrum totum. Unde jam effici potest quantum absit, ut haec pericope delineata fuerit et confecta secundum artis leges, quas sequi solemus in scribendis orationibus sacris. Nihilominus uni-

cuique hanc pericopen indaganti singulae partes ut
rite secum invicem conjunctas sponte se offerunt.
Singularum illarum partium argumento breviter ex-
posito, paucis verbis totius quoque pericopes argu-
mentum ob oculos ponitur. Inter varias autem res,
quae singulis partibus tractantur, facile nexus obscr-
vatur arctissimus. Pericopes igitur divisionem,
sponte se nobis offerentem, singularum ejus partium
argumentum, et omnium idearum connexum simpli-
citer nunc exponamus.

Cap. V : 1—12.

Quales sint regni Dei cives exponitur. Hi, quamvis
vexationibus obnoxii, beata tamen gaudent conditione.

13—16.

Cives regni Dei tales se praestare et vim suam
salutiferam in ipso mundo habere oportet.

17—48.

Nova sua religione JESUS nequaquam dissolvere
vult Mosaicam religionem, sed hanc potius consum-
mare ; quod pluribus exemplis illustratur.

Cap. VI: 1—18.

Cives regni coelestis omnino tales se praestant inter homines, sed longe ab iis remotum est omne coram hominibus ostentandi studium pharisaeorum instar. Quod tribus illustratur exemplis.

19—34.

Qui nova hac religione imbutus est, ejus externa conditio internae beatæ conditioni respondeat necessæ est. Non amplius is anxie venatur terrestres opes, haud amplius umbram pro ipsa re amplectitur, haud amplius Mammonæ servit. Omnis sollicitudinis expers ac suis contentus, alacer est et laetus ut volucres in aëre, curis vacuus ut liliae in agris.

Cap. VII: 1—6.

Regni divini civis, qui ceteris hominibus virtute longe excellit, vel sic tamen sese haud effert acriter judicando atque damnando quaecunque vitiosa in aliis invenire sibi videatur, sed primum se ipse interius cognoscere studet, ut suis quae adhuc remanserint vitiis medicinam afferat. — Neque etiam intempestive obtrudere coelestem doctrinam studet aliis, qui nondum illius capaces sunt.

7—11.

Quaecumque hac nova religione ab hominibus requiruntur, ardua quidem et sublimia sunt, sed Pater coelestis omnes adjuvare vult atque optima quaeque iis largiri, qui supplices eum adeant.

12.

Regula igitur omnium haec sit: quae sibi quisque fieri nolit, ne faciat alteri; quae sibi fieri gaudet, praestet in alterum.

13—23.

Sed ne quis, ceteris bene perceptis, verissimam ci-vium regni coelestis indolem ignoret, sciat necesse est, quaecunque a civibus hujus regni requirantur non nisi abnegatione sui ipsius posse perfici. — Simul etiam cavendum est, ne quis abduci se patiatur a falsis doctoribus, qui quales sint facile dignoscuntur.

24—27.

Homines verba IESU non tantum audire sed audita factis praestare oportet.

C A P U T V I I.

DE NECESSITUDINE ORATIONEM MONTANAM INTER
ATQUE MOSAISMUM.

Quaecumque hoc et sequenti capite tractaturi sumus, haec proprie ad unum referenda essent caput. Summum scilicet orationis montanae pretium indagare nobis proposuimus. Id autem co comprehendimus, quod omnem CHRISTI religionem contineat oratio montana. Tantum vero pretium huic orationi non omnes adscribunt, in quibus imprimis censendi videntur HASE et NEANDER. Alteram tantum religionis Christianae partem complecti orationem montanam perhibet HASE 1); non nisi transitum a lege ad evangelium praebere hanc orationem arbit-

1) *Das Leben Jesu*: Die Bergpredigt ist nicht die Vollendung, aber die eine Seite des Christenthums.

tratur NEANDER 1). Cum his viris hic conjungendi sunt ii, qui in oratione montana desiderari nonnulla religionis Christianae placita, scitu tamen necessaria, existimant 2). Hi enim aequae atque illi viri orationi montanae haud summum tribuunt pretium. Quid autem citata illa HASI et NEANDRI verba significant? Quacnam tandem duae illae sunt religionis Christianae partes, de quibus loquitur HASE? Altera pars ei hacc esse videtur: JESUS spiritualem legis Mosaicac dedit interpretationem, legisque illius mentem provexit et consummavit. Alteram partem habere videtur abrogationem formae legis sive abrogationem legis ritualis, ceremoniarum, templi, etc. Hanc religionis Christianae partem non inveniri in oratione montana putat HASE, quippe qui PAULUM deum, nec vero CHRISTUM, legis formam prorsus abrogasse in libro laudato affirmet 3). — Sed qui modo in intimam penetret mentem verborum, quae JESUS pronuntiavit, nec vero litterae scriptae serviliter adhaereat, is facile, ut nobis videtur, intelli-

1) *Das Leben Jesu Christi*: Die Bergrede bildet daher den Uebergangspunkt von dem Gesetze zum Evangelium.

2) VAN OOSTERZEE, alii.

3) Erst PAULUS hat die Losreissung vom Gesetze durchgekämpft.

get verba JESU legis auctoritati prorsus repugnare, ceremoniarum vim tollere, legis formam abrogare. Nonne his JESU verbis spiritus inest veritatis, qui in homines transfusus eos liberet a peccato et per se ipsos agentes reddat? Spiritus ille nullam accipere formam, nullis circumscribi terminis potest 1).

Cur vero NEANDER dicit, non nisi transitum a lege ad evangelium praebere orationem montanam? Sic enim ipsam CHRISTI religionem, ipsum evangelium, haec oratio non continet. Verba NEANDRI eundem sensum habere atque HASII verba credimus, qui huc redire videtur: JESUS formam legis nondum prorsus abrogavit, sed hujus formac abrogationem praeparavit, praevidit. Quac autem HASII opinioni objecimus, eadem quoque valent contra hanc NEANDRI sententiam.

Cognito sic sensu verborum HASII et NEANDRI, satis patet agendum nobis esse de duabus rebus, scilicet: *de necessitudine orationem montanam inter ac Mosaismum, et de necessitudine orationem montanam inter ac Christi religionem.* Quibus expositis, omnem CHRISTI religio-

1) Hac de re videatur NIERMEIJER, *Magazyn voor Kritiek en Exegetiek*, Tom. I, pag. 285.

nem contineri oratione montana conspicuum reddisse speramus. Quum autem, si duas has res uno conjungamus capite, id majorem aequirat ambitum, diversis cas capitibus apte tractare possumus.

Inquirentibus in necessitudinem, quae orationem montanam inter ac Mosaism intercedit, duo scopuli nobis sunt evitandi. Cavendum scilicet nobis est, ne divinae CHRISTI gloriae quid detrahentes in perniciosam Ebionitarum de CHRISTO ruamus sententiam, nec vero detorto studio ducti MOSEN nimis evchere studeamus 1). Oratione autem montana bene intellecta, haud difficile esse videtur necessitudinem illam CHRISTI inter ac MOSIS religionem recte perspicere, nec non CHRISTUM inter ac MOSEN instituere comparationem, quae praeclaris utriusque dotibus meritisque conveniat ac prorsus respondeat.

In gente Israelitica nullo non tempore vixerunt viri praeclari, qui, quisque pro sui ingenii et suae pietatis modo, verae religionis cognitione gaudebant,

1) Vid. NIERMEIJER, l. 1.

vitamque vere religiosam instituebant. Inter hos viros imprimis censendus est MOSES, qui, quum populo suo legem tulit, in ea verae religionis cognitionem, quam ipse habebat, exposuerat. Unde sequitur, legi Mosaicae rudimenta jam inesse verae religionis. Populi autem Israëlitici regimen fuit theocraticum, quam ob causam MOSES religionem, quam dedit, sub legis forma promulgavit. Lex vero Israëli fuit παιδαγωγός, qui populum, puerili gavisum aetate, sensim sensimque ad virilem adduxit aetatem, ac perinde effecit, ut populus, pueri instar, qui ad se regundum nondum idoneus est, paedagogi aut tutoris custodiae committeretur ejusque praecepta sequeretur.

Judaeorum vero doctores senioris temporis, veritatem non intelligentes et legis auctorati succumbentes, legi Mosaicae adjunixerunt interpretationem, argute litterae ejus superstructam, qua verae religionis vestigia, quae legi inerant, obtexerunt. Unde factum est, ut vera religio veraque pietas quaererentur in legis praeceptis cuiuscunque genbris ad litteram observandis, et ut minima quaevis ceremonialium praeceptorum neglectio crimen capitale et abrogatio legis haberetur. Ista autem pietate tempore JESU prae ceteris omnibus pharisaei se excel-

lere palam professi sunt, quippe qui legem implere
tum maxime sibi viderentur, quum populo talem
de se opinionem asserre valerent.

Nunc autem attendamus ad verba JESU, quae MATTHAEUS in oratione montana retulit. Ut scilicet phariseorum objectionibus occurreret et Judaeos anxietate illa, qua capiebantur, si quem credebant aliquid adversus pharisacos doccre, liberaret, JESUS haec dicit 1): non veni ut dissolvam, sed ut impleam legem; quiunque enim minimum verac religionis granum ex lege evellit, hic regni coelorum non particeps est. Sed dico vobis, nisi abundaverit vestra pietas plus quam illa scribarum et phariseorum, vos nequaquam ingressuros esse in regnum coelorum. Nam pharisaci, quamvis ad summum pietatis gradum pervenisse et omni ex parte Dci voluntatem exsequitam sibi quam ceteris Judaeis videantur, legem tamen dissolvunt sive abrogant externo suo cultu. Etenim ad litteram obediunt hisce praeceptis et vetitis: non occides; non moechaberis; quisquis dimiserit uxorem suam, libellum divorii det uxori; non pejerabis; oculum pro oculo, dentem pro dente dabitis; diliges proximum tuum. Et sic quidem haec

1) Matth. V: 17 seqq.

omnia nimis angustis circumscribentes limitibus, duo priora vctita solum ad homicidium et adulterium jam perpetratum referunt; tertium a mero viri arbitratu pendere dicunt; quarti vim sitam esse in voce Jehovae (*κυριος*) perhibent; quintum praecptum, spreta judicium auctoritate, ipsi quovis in casu adhibent; sextum denique, addito opposito, vi sua et pretio prorsus privant. Tali modo pharisaei quidem legis observationi consulere sibi videntur, aesi legislator neque ipsum animi motum, tendentem ad homicidium et adulterium, poena dignum censuerit; neque repudio inter uxorem et maritum resistere voluerit; neque jurare per res creatas, quippe quae Deo sacrae sint, prorsus idem esse ac jurare per Deum crediderit; neque populares suos ad patientiam excitare et judicis auctoritatem vindicare studuerit; aesi denique MOSES, praecptum scribens amoris mutui, simul odium provocare voluerit. Quae cum ita sint, pharisaeis [me] opponens, vobis dico: profecto! ipsi jam animi motus, ad homicidium et adulterium instigantes, gravissimis poenis digni sunt, quamquam poenac illae distincta lege non indicantur; turpis amor, quo quis flagret, jam ipse quidem adulterium est, quamquam id sic enuntiatum non ad litteram in lege scripta invenitur; conjugii vinculum

dissolvere haud licet, quamquam repudium lege permisum videtur; omne jusjurandum promissorium, cujuscunque sit generis, vetitum est, quamquam verosimiliter lex pejerare tantum vetat; patientia et liberalitas ab omnibus requiruntur hominibus, quamquam lex vindictam permettere videtur; amor erga inimicos summus est pietatis gradus, quamquam ille, quoad verbum, lege non praecipitur.

Hisce autem verbis JESUS non quidem arguere voluit, legislatorem Israëlitarum omnia ea jam in mente habuisse, quibus ipse mentem legislatoris, legi inditam, explicavit; sed mentem legis, quam pharisaei, litterae ejus inservientes, negligebant, limites omnino, quos scriptae litterae legi posuerant, excedere et latius patere, id quidem indicare voluit. Sic JESUS pharisacos, quamvis sc̄ legem implere gloriarentur, legislatorem tamen contemnere legemque abrogare manifeste probavit.

Redeamus nunc ad haec JESU verba: μὴ νομίσητε ὅτι ἡλθον καταλῦσαι τὸν νόμον η̄ τοὺς προφήτας· οὐκ ἡλθον καταλῦσαι ἀλλὰ πληρῶσαι 1), et inquiramus quid hoc significet, JESUM legem implevisse.

Multis vicibus multisque modis olim Deus locutus

1) Sensus horum verborum, quae Matth. Cap. V: 17

ad patres in prophetis, tandem locutus est ad homines in Filio. In viris enim praeclaris MOSE, DAVIDE et tot aliis Deus Israëli se patefecit. Quum enim Deus in homine, pro modo sanctitatis, qua hic gaudet, se conspiciendum præbet, patefactio Dei in viris modo dictis manifesta quidem fuit; sed quantum abfuit, ut ad summum sanctitatis gradum pervenissent! In iis spiritus Dei et vera vita fuerunt *ἐκ μέτρου*. JESUS vero, quem, quamvis tentatum in omnibus, nemo tamen peccati arguere potuit, Spiritu sancto a Deo donatus erat *οὐκ ἐκ μέτρου*, summa gaudebat sanctitate. Ille fuit *ἀπανταχμα τῆς δόξης καὶ χαρακτήρα τῆς ὑποστάσεως Θεού*. Hinc sequitur, veram vitam, quam MOSES pro modo, quo ea fruebatur, in lege jam reposuerat, consum-

occurrunt, accurate exposuit H. N. FERF, in *Specimine critico-theologico*, Traj. Bat. 1799. Hic apte contra Evansonum, qui illud enuntiatum doctrinae vere Christianae aequa ac doctrinae V. F. prophetarum repugnare statuit, citavit verba I. A. BOLTEN, *Der Bericht des Matthäus von Jesu den Messia*, qui *πληρώσαι* ita vertit: erklären, eigentlich durch eine Gemare (ῥῆμα, πληρώσαι) zu ergänzen oder zu erläutern.

Porro verba *τὸν νόμον ἢ τοὺς ἀραιότερας* significare veterem oeconomiam, religionem Veteris Foederis, religionem Mosaicam, jam multi probarunt. Imprimis vero hac de re legenda putamus, quae scripsit THOLTCK in opere laudato ad hunc locum.

matam in IESU adfuisse, in quo sic et vera religio plane conspicienda fuit. Quum porro lex requisi-
verit veram vitam, quam in IESU cernimus, hic
sane summis legis requisitis satisfecit, summoque
jure se venisse professus est, ut legem impleret.

At vero, ut jam vidimus, verae religionis ele-
menta, quae aderant in Mosaismo, induta erant
legislationis forma, quae Israëli tantum, nec nisi
certo tempori, apta erat. Accedit quod tota religio-
nis forma per manum MOSIS tradita eo tenderet, ut lex
auctoritatem, nullis finibus circumscriptam, sibi vin-
dicaret. Quum autem IESUS religionem tradiderit,
quae omnibus temporibus populisque apta ad omnes
omnino homines aliquando amplectendos destinata
est, fieri haud aliter potuit, quin omnia, quae spe-
ciatim ad populum regimine theocratico gaudentem
pertinebant, per illam removerentur. Hanc ob cau-
sam IESUS, quamvis ipse legem implens, formam
tamen legislationis prorsus noluit religioni a se tra-
dendae, quippe quae auctoritatem abrogans homines
requireret, qui sui juris essent atque igitur per
se ipsi agere et veritatem perspicere possent. Nam
omnes Dei legem menti insculptam haberent, et
sic alter non amplius alteri diceret: cognosce Deum;
sed omnes a minimo usque ad maximum Deum

cognoscerent. (Jerem. XXXI: 33, 34.) Sic autem voluit JESUS, ut homines, rejecta legislationis forma, mente reciperent veritatem, quam ipse patetfecit, qua quidem imbuti sponte Dei voluntati obedirent et vera libertate veraque vita gauderent.

Quamvis JESUS legem impleverit veram vitam veramque religionem in se ipso perfecte manifestando, noluit tamen hanc religionem uno actu inducere et scriptae legis auctoritatem uno actu abrogare. Sensim paulatimque singuli homines spiritu ejus imbuedi essent et omni auctoritate humana liberandi. Quamdiu igitur inveniantur homines, qui non valcent intueri veritatem, tam diu quoque, sed nisi tantum, ista auctoritas valebit. Tempus vero, quo omnes omnino homines libertate filiorum Dei gaudebunt, aliquando futurum esse, sponte sequitur ex indole unius verae a JESU conditae religionis, quippe quae omnes homines amplexura sit 1).

1) Cf. J. SONIUS SWAAGMAN, Onderzoek, wat JESUS mag bedoelen, wanneer Hij zegt, Matth. V: 17, niet gekomen te zijn, om de Wet en de Profeten te ontbinden, maar te vervullen. (*Waarheid in liefde*, 1837, IV, p. 724—752.)

Cum his, quae hoc capite exposuimus, ea fere conve-niunt, quae disputavit BERNARD WEISS: Die Gesetzesaus-legung CHRISTI in der Bergpredigt. (*Studien und Kritiken*, 1858, Heft 1). Scripsit enim haecce:

CHRISTUS hat in der Bergpredigt gegenüber dem in der Form eines Volksgesetzes, wie es durch die nationale Eigenthümlichkeit des Volkes Israel und durch die Sündhaftigkeit des allgemein menschlichen Gesammtlebens bedingt war, im alten Testamente geoffenbarten Gotteswillen den ebenfalls im alten Testamente geoffenbarten heiligen Gotteswillen, wie er sich in dem absoluten Sittengesetze darstellt, aufgerichtet, nicht um das letztere sofort, ehe noch die Bedingungen, welche jeno Offenbarungsform nothwendig machten, gehoben waren, ausschliesslich ins Leben einzuführen, sondern um der falschen pharisäischen Gesetzeserfüllung, welche sich an jene provisorische Offenbarungsform hielt, gegenüber das Sitten gesetz in seiner vollen Absolutheit als das Ziel hinzustellen, dem sich das Individuum fortschreitend anzunähern hat in dem Matze, als seine, sowie der Gesammtheit durch die Erlösung begonnene und sicher fortschreitende Befreiung von jenen Bedingungen, die es bisher verhinderten, es ver möglicht, und zugleich als das Regulativ, worin die Art der Erfüllung jenes bedingten Gotteswillens ihre bleibende und unvergängliche Norm hat.

C A P U T VIII.

DE NECESSITUDINE ORATIONEM MONTANAM INTER AC CHRISTI RELIGIONEM.

In oratione montana nonnulla desiderari religio-
nis Christianae placita, scitu tamen necessaria, mul-
tis quidem videtur, sed immerito. Supra jam ani-
madvertimus hanc pericopem non unam tantum re-
ligionis Christianae partem sed et alteram continere.
Religio autem quum non prorsus idem denotet ac
Religionis doctrina, de hac proprie non quae-
rimus. Ut tamen nonnullorum objectionibus occur-
ramus, praecipua doctrinae religionis placita expo-
nere conabimur, ut patcat haec placita omnino
contineri oratione montana. Agemus igitur *de Deo*,
de Jesu Christo Dei Filio, *de peccato*, *de*
redemptione ac Spiritu sancto, *de reconcili-*
atione per mortem Christi, *de judicio*
supremo.

De Deo.

Quum IESUS ultima illa nocte Deo gratias agens peractae vitae rationem redderet, haec locutus est: ἐφανέρωσά σου τὸ δνομα τοῖς ἀνθρώποις, οὐς δέδωκάς μοι ἐξ τοῦ κόσμου. Quibus verbis totum sane opus, quod perfecerat, complexus est. Deum enim patefaciens ut Patrem coelestem, summam et ultimam humano generi cognitionem impertivit de Deo, qui amor ipse est. Ex qua notione tanquam e sacro angustoque fonte omnis ejus religio manavit. Certe illam Dei cognitionem, hominibus hucusque nondum datam, summo jure ipse IESUS vocavit τὴν ζωὴν αἰώνιον, et hac cognitione omnino ea revelavit, εἰς ἀπειθυμούσιν ἀγγέλοι παρακλήψαι.

In oratione montana (Cap. V: 48, VI: 19, VII: 7—11, ect.) *Patris* nomen Deo adscribitur morali illo sensu, quo ab eadem denominatione, quae in Veteri Foedere subinde occurrit, theocratica illa ac naturali, toto coelo differt.

De Iesu Christo Dei Filio.

Quum denominatio »filius Dei» in N. F. libris dupli sensu IESU adscribatur, indagandum nobis est,

an etiam ex oratione montana JESUS tanquam filius
Dei duplii hoc sensu cognoscatur.

Primum haec denominatio in N. F. occurrit sensu theocratico. Apud Israëlitas enim pii Jchovae cultores atque in primis reges nomine filiorum Dei insignibantur. Inde etiam MESSIAS, quem diu exspectabat populus Israëliticus, quum ille et prophetico et regio munere functurus esset, *κατ' ἔξοχην filius Dei* dicebatur. Hinc intelligitur, et illos Judaeos, qui JESUM MESSIAM agnoverunt, filium Dei eum appellasse. — Videamus, an JESUS in oratione montana tanquam MESSIAS prodeat. JESUM praeceteris Judaeorum doctoribus longe excelluisse, patet jam ex magna, quam sibi vindicavit, auctoritate, conspicua in hujusmodi dictis 1): *μὴ νομίσητε, ἀμήν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἐγώ δὲ λέγω οὐ. τ. λ.* et ab evangelista his verbis expressa: *ἡν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἔξουσίαν ἔχων καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς αὐτῶν.* Ubi vero JESUS ex Judaeorum consuetudine has adhibuit formulas: *Ἐν ἐπινυ πῇ ἡμέρᾳ, τότε ὄμολογήσω, ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἡμοῦ,* luce clarius esse putamus hujus-

1) MEIJERO non assentimur dicenti haec dicta, prouti omnia, quae in oratione montana MESSIAM spectant, *ὑπέρεγκα πρότερα* esse.

modi formulis JESUM tanquam MESSIAM i. e. filium Dei theocratico sensu cognoscendum se dedisse.

Sed et sublimiore sensu JESUS se professus est filium Dei. Hac enim denominatione significavit necessitudinem, quae ipsum inter ac Deum Patrem intercedit, mutuum scilicet amorem, qui effecit ut ipse opera et voluntatem Patris sui exsequeretur, ut unum esset cum Patre. Eodem autem amoris vinculo homines cum Deo et inter se invicem conjungere voluit JESUS; hoc sane consilio suum condidit regnum. Eandem ob causam professus etiam est, illos tantum fratres suos esse, qui voluntati Patris sui obedirent, et post resurrectionem suam MARIAE MAGDALENÆ et discipulis dixit, se abitum esse ad suum et illorum Patrem. — Quaeritur autem, an JESUS hoc sensu tanquam filius Dei cognoscatur ex oratione montana.

Initio jam orationis exponitur, qualis in civibus regni coelorum requiratur animus. Quum autem ipse JESUS tali animo gauderet, ac cives regni divini, qui amoris vinculo conjunguntur, filii Dei appellandi sint, sequitur inde JESUM hic se indicasse tanquam filium Dei sensu morali. *Oι σιωπονοιοι* enim (ut exemplo utamur), inquit JESUS, *νιοι θεοῦ κληθησονται*. Quo tandem fundamento haec promissio niti potest, nisi

eo quod ille, qui promittit, ipse *εἰρηνοποιός* sit et
νιός θεοῦ? Alioqui saltem *ΙESUS* ex alio fonte quam
 e se ipso religionem haurire debuit. Attendamus ad
 praeceptum amoris. Estote vos, inquit *ΙESUS*, perfecti
 in amore, ut perfectus est in amore Pater *vester*
coelestis (V: 48), quippe qui patiatur solem suum
 exoriri super malos ac bonos, et qui pluviam immittat
 super justos ac injustos. Ita etiam *omnium homi-*
nūm est amore non tantum amicos, sed etiam ini-
micos, amplecti. Sic illi voluntatem Dei exsequuntur
*et filii sunt Patris *sui** (V: 45) i. e. cives regni
coelorum. Cives autem hujus regni faciunt, quod
*vult Pater *ΙESU** (VII: 21). — Ex hisce facile efficitur,
ΙΕΣΥM ea verba, quae Matth. Cap. V—VII continen-
tur, loquentem omnino in mente habuisse Deum
esse Patrem coelestem; homines, qui Patris volun-
tati obediunt, inter se invicem esse fratres; seque
ipsum esse primum inter fratres sive primogenitum
Dei filium. Etiamsi nihil aliud nobis superesset, nisi
exigua hujus pericopes pars, quae vulgo Oratio Do-
*minica appellatur (Cap. VI: 9—13); etsi *Patris**
tantummodo ut Dei nomen nobis restaret, satis certo
intelligere possemus homines esse filios Dei et inter
*hos illum, qui, tanquam Patris imago, ejus *οὐσίαν**
*moralem patefecit, esse *κατ' εξογήν* Dei filium.*

De Peccato.

Ut ad quaestionem respondeamus, an peccatum etiam cognoscatur ex oratione montana, animadvertamus haecce. Probi homines beati praedicantur; discipuli JESU appellantur sal terrae, quippe quod gaudeat efficacitate, ut quidquid attigerit afficiat et ex insipido reddat sapidum; legis praecepta, vide-licet peccato opposita, ita recensentur, ut vel animi motus, qui ad peccandi actum tendunt, poenis digni esse censeantur; rejicitur pravus mos, quem in observandis officiis sequi solent hypocritae; reprehenduntur cupido rerum terrestrium, sollicitudo, studium, quo quisque fere homo ducitur, dum in suis vitiis mitior sit iudex, in alienis acerrimus; excitantur homines ut, sensuum dominio resistentes, virtutis viam ingrediantur; judicium denique, quod feret MESSIAS contra eos, qui nil nisi nomen ejus accipiunt, hisce verbis refertur: *ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἔργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν*, i. e. discedite a me qui peccato obeditis, qui a lege sanctitatis receditis. His omnibus luce clarius esse arbitramur, JESUM verbis, quae haec pericope continet, peccato se opposuisse, quod variis formis prodit et cuius foeditas co melius intelligitur, quo magis

virtutis laudes efferuntur. — Conabimur vero peculiaria quaedam eligere ex hac pericope, quibus peccati *origo, fons et effectus* cognoscantur.

Legimus Cap. V: 28: quicunque adspicit mulierem πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτὴν ἡδη ἔμοίχενσεν αὐτὴν ἐν τῇ παρδίᾳ αὐτοῦ. — Quid hisce verbis efficitur?

Indicant peccatum *originem* ducere e sensibus, rationi praevalentibus. Quum nimur homo mundi sensualis illecebris pelliciatur, prava desideria et pravae cupiditates in eo excitantur, quibus, spreta rationis voce, obsequitur.

Porro hac in pericope beati dicuntur ἔλειμονες et illi qui propter probitatem vel propter IESUM vexantur; dum exponitur melius esse homini oculum dextrum sibi eruere et manum dextram excindere i. e. id quod carissimum sibi est amittere, quam carissimum illud retinendo deferri ad peccatum. Perinde non tantum requiritur patientia, sed etiam liberalitas, quae, quamvis laesa, laedenti tamen largitur. De illis quoque, qui ostentandi studio ducuntur, ut sibi ipsi placeant aliisque pii esse videantur, grave fertur judicium: ἀπέχουσιν τὸν μισθὸν αὐτῶν.

Omnibus haec norma datur generalis: quod quisque sibi fieri nolit, ne faciat alteri; quod sibi fieri gaudeat, praestet alteri. Duae finguntur por-

tae, altera arcta, ad quam non sit aditus, nisi per angustam viam, sed quae mox ad vitam ducat. Altera lata ac patens, ad quam spatiosa via praebat aditum, sed quae mox in exitium duebat. Via autem angusta est illius, qui abnegans sui est, lata via est ejus, qui perverso sui studio ducitur; altera est via virtutis, peccati altera. — Hisce bene observatis intelligitur peccatum in hac oratione omnino virtuti ita opponi, ut haud difficile efficiatur, peccati *fontem* in homine haberi perversum sui studium.

Ut cum virtute beatitudo, sic etiam cum peccato poena conjuncta est aeterno vinculo. *Illud* autem satis intelligi posse ex oratione montana cum nemo quidem negaturus sit, *hoc quoque sponte*, tanquam illi plane oppositum, hac oratione evadit. Sed videamus quid speciatim doceat JESUS de peccati *effectibus*. Quodsi, inquit, oculus dexter vel manus dextra te impellat ad peccandum, abjice ea abs te; nam, salvis his corporis membris, inservias peccato, quod, si foveatur, pro indole sua magis magisque vim suam extendit, ulterius procedit, ad exitium prorupit, poenisque te cruciat gravissimis. Idem etiam docet JESUS imagine, duas singit vias, alteram angustam, quae ducat ad vitam, spatiosam alteram, quae ducat εἰς τὴν

ἀπώλειαν i. e. in conditionem, in qua homo gravissimis vexatur poenis peccatorum, quae sensuum illecebri obediens perpetraverit.

Omnis homo, qui hacc divina IESU verba audiens non factis ea praeceps, similis est viro imprudenti. Hic enim, nequaquam praevidens tempestates venturas, aedificium suum collocat super arenam, videlicet fluidum minimeque fidele fundamentum. Post irruit pluviae vis, irruit torrentium impetus, irruit ventorum procilla, domusque a fundamentis convulsa solvit, magnoque frangore concidit.

Quamvis denique totius pericopes indoles, nec non dicta nonnulla (e. c. Cap. VII: 11) probent, IESUM peccatum habuisse commune omnibus hominibus, luculenter tamen ipsa hac oratione indicatur, lucem humanae rationis non prorsus exstinctam et voluntatem non omni vi privatam esse. Haud aliter hi imperativi: *προσέχετε, μὴ θησαυροῖς ετε* (VI: 1, 19), aliique multi explicandi sunt. Nam praeceptum jure ei tantum dari potest, qui potestate illud observandi gaudeat. Quid verba »vos estis sal terrae et lux mundi“ significarent, nisi humanum genus capax esset, ut vi salis et calore lucis affici possit? Inprimis autem animadvertenda sunt ea quae leguntur Cap. VI: 22, 23.

De Redemptione et Spiritu sancto.

Etiamsi IESUS tanquam Dei filius prodeat hac oratione, e qua simul peccatum prorsus cognoscitur; quid tamen, forte quis objicit, jactas hanc orationem complecti omnem CHRISTI religionem? Nihil prorsus de redempione hic legitur, et Spiritus sanctus in ea desideratur?

Nemo mortalium hac in terra omni ex parte beatus dici nec subito a peccati vi liberari potest. Sed sensim sensimque, nec sine luctatione, homines sensuum illecebris obstantes et a peccato animum avertentes a virtute ad virtutem progrediuntur, animum constantius regunt in Deum, suique dominium magis acquirunt et liberantur sive redimuntur a peccati imperio. Crescente sie hominum virtute, beatitudo eorum simul crescit. Hinc sequitur varios esse gradus virtutis et beatitudinis. Homines vero, qui ad certum quemdam virtutis gradum pervenerunt, quisque pro suo quidem gradu, dici possunt liberati sive redempti a peccato, atque in eavertantur conditione, in qua beatitudinem experiuntur 1). Haec autem conditio clare ac dilu-

1) STIERIO nos haud assentiri dicenti »talem beatitudinem ipsi hominis naturae maxime displicere,« sponte patet.

cide exponitur macarismis, positis initio pericopes, de qua agimus. Quum vero CHRISTUS redemptor appelleatur, restat ut exponamus, duce hac pericope, quo modo ille omnes omnino homines a peccati potestate liberaverit et in eam adduxerit conditionem, in qua, quamvis suo quisque pro gradu virtutis, beatitudine tamen gaudent unice vera. — Ad hanc quaestionem satis respondent haec ipsius CHRISTI effata: quisquis audit mea verba caque praestat, similem cum ajo viro prudenti, qui aedificavit domum suam super petram (VII: 24). Qui scilicet ea IESU verba, quae hac continentur pericope, audivit, nec audivit tantum sed in intimos affectus suos demisit, h. e. sanctum IESU spiritum, qui verbis inest, ita hausit intimo animo, ut ipse eodem illo spiritu ducatur atque hunc factis exprimat, is omnino vir est prudens, cuius domus solido et immobili nititur fundamento. Quem igitur ipse JESUS talibus effert laudibus, quis dubitat, quin is beatitudine fruatur? Qui CHRISTI spiritum hau sit, quis putat cum non accensendum esse redemptis? Quid enim illud est, quo IESUS mundum liberaat a peccato? An aliud quid quam sanctus ille spiritus, quem mundo dedit? sancta illius religio, quam humano generi tradidit? Spiritus autem IESU

est spiritus amoris, qui ne velle quidem male inimicis homini permittit (V: 43—48); spiritus tolerantiae et benevolentiae, qui eum vetat injuriis vindictam reposcere (V: 39 sqq.); spiritus sinceritatis, qui eum arcet a simulatione (VI: 2, 7, 17, 18); spiritus precationis, qui eum impedit, quominus Deum, creatorem et patrem, negligat (VII: 7 sqq.); spiritus amoris erga proximos ac spiritus clementiae, qui nimium sui studium suppressit, utut studium alios calumniandi (VII: 12, 1—6); spiritus, qui, studens pietati et regno coelorum, peccato resistit (VI: 33); spiritus, qui homines puros corde reddit, ut Deum videant, quum totum corum animum regat in bonum et in Deum. Quid igitur? Hoc spiritu imbutus, quem exprimit factis, homo certo redemptus est a peccato et summa beatitudine fruitur, sin minus, nemo saltem.

De Reconciliatione per mortem Jesu.

Morti JESU eam Apostoli vim tribuunt, qua vinculum Deum inter ac hominem, a peccato interruptam, restituatur. Et summo quidem jure id vindicant. JESUS enim verbis et exemplo spiritum suum transfuderat in discipulos, qui opus, ab eo inceptum,

perficerent. Si autem JESUS inimicorum persecutionibus se subripuissebat, nec mortem subiissebat, quomodo, quaeso, suam condidisset religionem? Num munus verae religionis propagandae suscepissent Apostoli et ad mortem usque in eo constanter perseverassent? Minime vero. Sed JESUS, ut bonus pastor, vitam dedit pro ovibus. Eius nimirum erga homines amor, qui, quum omnium hominum salutem spectaret, omnem metum excludebat, id effecit ut mortem crucis subiret, atque ita divinam non tantum religionis suae vim manifestaret, sed etiam hanc conderet religionem, in qua vera invenitur vita, sanctus ille spiritus, quo unice homo reconciliatur cum Deo.

Mors autem JESU, summus ille amoris actus, quem Apostoli non exspectaverant, eorum animos ita succussit, et post Domini resurrectionem ita implevit, ut tunc demum divini illius spiritus, quem Magister in eos transfuderat, sibi consci facti sint. Tunc palam professi sunt, hunc spiritum, quem JESUS morte sua humano generi reliquerat, a metu, anxietate, inimicitia contra Deum liberare, ac vinculum Deum Patrem inter et hominem restituere. Et sic quidem factum est, ut Servatoris morti, cuius efficacitatem ipsi experti fuerant, reconciliationem

annexuerint Apostoli. Sed simul tamen satis perspicue redemptions a peccati tyrannide et sic etiam reconciliationem cum Deo ad ipsam IESU vitam, i. e. ad sanctum ejus spiritum, referunt. (Rom. III: 24). Attendamus ad ipsius IESU verba: »Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix prophetarum et lapidatrix eorum, qui ad te missi sunt: quoties *volui* congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullulos suos sub alas; et *noluistis!* — Ponamus, *voluisse* Judaeos. (Quod enim ipse IESUS saepius *voluit*, id *ponere* nobis quidem licet!) Sic certe IESUS violentam crucis mortem non subiisset, sed tamen regnum suum omnino condidisset! Hinc sequitur, homines cum Deo reconciliari unice per spiritum sanctum, quem IESUS, postquam Judaei *noluissent* congregari ab ipso, non nisi morte sua violenta universo generi humano relinquere potuit. Et sic quidem moriendo sanctum suum effudit spiritum, quo omnes homines ab omni malo liberaturus esset. Haec autem liberatio quum includat reconciliationem, quippe quae liberatio sit a conditione, in qua homines sunt *ἐχθροὶ τοῦ Θεοῦ*, facile respondeatur ad quaestionem, an ipsa reconciliatio in oratione montana inveniatur.

De Judicio supremo.

In Theologia Judaica judicium supremum habebatur actus externus, certo quodam definitoque die a MESSIA peragendus. A Judaeorum autem de judicio doctrina Apostoli in scriptis suis multas sumserunt dictiones. Vel ipsum JESUM Judaeorum terminologia usum esse in pericope, de qua agimus, existimamus. Nam Cap. VII: 22, 23 verba *ἐν ἐκτίνῃ τῇ ἡμέρᾳ* diem illum definitum, quo judicium habendum sit, indicare, verba *κινδύνεις, μνήσεις ο. τ. λ.* preicationem continere, ut judex faustum ferat judicium, verba *ἀπογωγῆτε ο. τ. λ.* exprimere sententiam judicis putamus. Haud aliud vero JESUM innuisse judicium, nisi tale quod sit miseriae experientia, quam religionis ab ipso patefactae contemptus secum fert, atque igitur non ipsum, sed veritatem, *τὸν λόγον, δὲν ἐλάλησε,* judicis partes in genere humano acturam esse, patet ex Joh. III:1 8, 19, XII: 48; ita ut homines, qui verba JESU audierint nec vero illis obsequium praestiterint, miseriam experiantur, quae vinculo inseparabili cum veritatis contemptu conjuncta est 1). Si quis vero dubitet, num

1) Vid. J. H. SCHOLTEN, *Dogm. Christ. Initia.*

tale judicium, quale ipsius JESU verbis descripsimus, oratione montana doceatur, inspiciat ille tantum Cap. VII: 24 sqq. JESUS scilicet iisdem fere verbis hac in peroratione usus est, quibus alibi *τὴν κρίσιν* exposuit. Quisquis enim, inquit, verba mea audit et factis exprimit, hunc similem ajo viro prudenti, qui solidum ac firmum struens aedificium mox beatitudine gaudeat; quisquis vero audit verba mea nec vero obsequium iis praestat, similis est aedificatori parum provido, qui aedificium suum super arenam collocans, videlicet fluidum minimeque fidele fundamentum, mox experiatur miseriam.

Et ita quidem probasse nobis videmur orationem montanam, quae summo jure appellari possit *magna charta regni coelestis*, omnem CHRISTI religionem continere. — Forte quis etiamnunc haec nobis objiciat: »CHRISTUS non ea quae docuit, sed se ipsum vocavit veritatem ac vitam, atque ideo religio CHRISTI haud contineri possit oratione montana aut ceteris ejus sermonibus, sed ipse Servator fons est habendus religionis Christianae.”

Contra hanc objectionem liceat haec animadvertere. Nonne CHRISTUS, se ipsum vocans veritatem

ac vitam, *spiritum suum* sic vocavit? Et quum in coelum abiit Dominus, nonne hunc spiritum, i. e. semet ipsum, humano generi reliquit, nimirum et in verbis et in factis suis? Est igitur idem spiritus, qui verbis et qui factis inest. Atque ideo verba CHRISTI sunt verba vitae aeternae, hujusmodi verba, quibus vita inest aeterna, i. e. una vera religio, quae vitam largitur aeternam omnibus, qui hac religione Deum adorant *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ.*

Sic igitur orationem montanam habemus ipsius JESU verba, de quibus ipse testatus est: sunt spiritus et vita. Continent sanctum ejus spiritum et vitam aeternam. Viam monstrant ad Deum. Sunt ipsa veritas, — *ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀληθεία καὶ ἡ ζωή.*

Q U A E S T I O N E S.

I.

Haud probari potest JESUM semel tantum in montanis multitudinem ad res coelestes instituisse.

II.

Memoria tantum servarunt discipuli, quae JESUS docuerat.

III.

In enarrandis JESU verbis et factis temporis rationem non semper habere potuerunt Apostoli.

IV.

Duas series, alteram sermonum, factorum alteram, in CHRISTO denuntiando sponte sibi formarunt et adhibuerunt Apostoli.

V.

Summam tantum eorum, quae JESUS saepius per varios dies multitudinem in montanis docuerat, memoria persequi potuerunt discipuli.

VI.

Non nisi accepta nostra »de continua oratione» sententia, rite dirimi possunt multae difficultates, quae hucusque interpretibus in oratione montana explicanda se obtulerunt.

VII.

Qui contra nostram opinionem »orationem montanam esse summam eorum, quae per varios dies multitudinem hominum in montanis docuit JESUS» opponunt initium et finem hujusce pericopes, egregie refelluntur iis, quae leguntur Matth. XIII: 3—53.

VIII.

Omnem CHRISTI religionem complectitur oratio montana.

IX.

Propria vis effati Matth. V: 48: ἔσεσθε οὖν
ὑμεῖς τέλειοι, ὡς ὁ πατὴρ ἐν οὐρανοῖς τέλειός ἐστιν,
non tantum ex contexta oratione (sect. 43—47), sed
imprimis ex ipsa *Patris* denominatione rite intel-
ligitur.

X.

Certissima de divina Religionis Christianae veri-
tate persuasio non nisi propriâ sanctae vitæ expe-
rientiâ acquiritur.

XI.

Haec ipsius hominis Christiani persuasio dupli-
modo in N. F. denominatur: *Revelatio Patris
coelestis* et *Testimonium Spiritus sancti*.

XII.

Utriusque dictionis propria vis haud facile in-
telligitur, nisi simul attendatur ad illud, quod
utriusque notioni oppositum est: *revelatio* sive
testimonium carnis et sanguinis.

XIII.

Liberum arbitrium, quod vulgo vocatur, nihil aliud est nisi *facultas comparandi bonum ac malum.*

XIV.

Narratio de lapsu protoplastorum (Gen. III.) nequaquam *mythus* est habenda, sed *typus.*

XV.

Dogma de peccato hereditario, quod vocant, longe aliter mihi videtur ab ipso AUGUSTINO intellectum, quam quidem vulgo proponi solet.

XVI.

Recte CALVINUS ad Gen. IV: 9: »Fieri quidem potest ut tacito conscientiae examine Deus interrogaverit Cain, et ipse vicissim intus responderit.”

1910814

XVII.

Theologia, vere naturalis vocanda, a nobis dari non potest.

XVIII.

Qualis proprie disciplina Ethice sit, aequem minus intelligitur, quum aut *pars* dogmaticae aut *par* dogmaticae esse perhibeatur.